

**Impetus primi anatomici ex lustratis cadaveribus nati / quos propria consignavit manu A.C.**

**Contributors**

Cant, Arent, 1695-1723.

**Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : 'Sumptibus aucturis, apud P. vander Aa.', 1721.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gkxsp9v5>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>









IMPETUS PRIMI  
ANATOMICI

EX

LUSTRATIS CADAVERIBUS

NATI,

Quos propriâ consignavit

MANU

A R E N T C A N T,

Medicinæ Doctor.



LUGDUNI BATAVORUM,  
SUMPTIBUS AUCTORIS,

Apud P E T R U M V A N D E R Aa,  
*Bibliopolam, Civitatis atque Academiæ Typographum.*

MDCCXXI.



THE HISTORY OF THE  
CITY OF NEW YORK

FROM THE FOUNDATION OF THE CITY  
TO THE PRESENT TIME

BY

JACOB V. BRADEN

Author of 'The History of the City of New York'

NEW YORK: PUBLISHED BY  
J. B. LIPPINCOTT & CO.



NEW YORK: PUBLISHED BY  
J. B. LIPPINCOTT & CO.  
15 N. 2ND ST. N. Y.

V I R O  
ERUDITIONE, SCRIPTIS, FAMA,  
PER ORBEM  
C E L E B E R R I M O,  
D O M I N O,  
D. HERMANNO BOERHAAVE,

A. L. M.  
P H I L. E T M E D I C I N Æ  
D O C T O R I,  
H U J U S Q U E,  
BOTANICES, CHEMIÆ, ET COLLEGII PRACTICI,  
P R O F E S S O R I,  
COLLEGII CHIRURGICI  
P R Æ S I D I,

HOS IMPETUS ANATOMICOS,  
IN  
GRATI ANIMI,  
MULTIS NOMINIBUS OBSTRACTI,  
T E S S E R A M,  
OMNI, QUA DECET, OBSERVANTIA  
D. D. D.

DIGNITATUM EJUS  
DEVOTISSIMUS CULTOR,  
A R E N T C A N T,  
M. D.

VIRI  
FUNDATIONE, SCRIPTIS, TABULIS  
C. L. B. R. M. O.  
D. O. M. I. N. O.  
D. HERMANNO BOERHAAVE  
A. L. M.  
FUND. ET MEDICINE  
D. O. C. T. O. R. I.  
FUND. ET  
FUND. ET COLLEGIUM  
P. R. O. F. E. S. S. O. R. I.  
COLLEGIUM CHIRURGICUM  
P. R. A. S. I. D. I.  
H. O. S. I. M. P. E. T. U. S. A. N. A. T. O. M. I. C. O. S.  
I. N.  
G. R. A. T. I. A. M.  
M. U. L. T. I. S. N. O. M. I. N. I. B. U. S. C. R. I. S. T. I. C. I. T.  
F. U. N. D. A. M.  
O. M. N. I. A. Q. U. A. E. S. U. N. T. E. S. S. E. N. T. I. A.  
P. R. A.  
D. I. G. N. I. T. A. T. U. M. E. I. U. S.  
P. R. O. P. R. I. E. T. A. T. I. O. N. I. S. C. U. L. T. O. R.  
A. R. T. I. S. C. A. M. I.  
P. R. A.

# LECTORI AUCTOR.

Uum ambirem Medicorum inscribi Ordini, Academicum exigebat institutum, ut de Re quadam Medica Thema conscriberem. Parendum fuit legi: pauca igitur de vero Thoracici Ductus Situ fui commentatus, & icone hunc depingere conatus sum. Effecerat hæc dissertatio evulgata jam, ut Viri Sapientiâ Medicâ Celebres rogarint, num & alia successu quodam fideliter notaveram? Quibus ostendi, quas hic cernis, Tabulas, propria quidem effectas manu, atque ea quidem effectas fide, ut certus sim, alieni a vero nihil quidquam continere. Has illi laudarunt longê ultra expectationem meam, atque tales, quæ editæ prodesse possent Artis Medicæ Cultoribus. Quum putarem, hoc consilium plus benevolentiae erga me, quam prudentiae, ostendere; instabant illi sedulô, atque urgendo tandem, ut evulgarem una cum dissertatiunculâ illâ, fuerunt Auctores. Obedivi denique, ne viderer in re meâ plus quam illi sapere. Tu, Mi Lector, si quid inde boni, illorum adscribe consilio, quos Impulsores habui; maxime autem Eruditissimo Viro, *Albino*, qui Anatomicen insigni cum laude publice in Illustri Academiâ *Lugduno-Batavâ* profitetur: Ille enim benigno favore me amplexus, observandis occasionem dedit, opem tulit.

Unable to display this page

# IMPETUS PRIMI ANATOMICI. TABULA PRIMA.

**V**ivo viventem hominem, bona quam plurima præstare posse, negabit sanæ mentis nemo; verum, quod homo a mortuo acciperet utilia, omnes, nisi perspectam haberent Anatomen, inficiarentur: incrementum quidem hæc debet omne suum bene lustratis demortuorum cadaveribus, ipsaque huic nata pro basi toti Medicinæ inservit; quidem ita, ut Medicus, hacce destitutus, ad sanitatem servandam vel integrandam, nisi casu fortuito, magni aliquid momenti conferre non possit; multoque minus Chirurgus: sua igitur commendabilis necessitate, suo usu, Anatomie apparet; cui tamen condendæ mortui præbuere materiem, qua prodesset vivis, quibus tutela salutis maxime cordi esse debebat.

Bene faciet itaque societati humanæ, quicumque artem hanc excoluit, ut possit veri quid eruere, primusque depingere, quod priscos latuit: quare & ego, delineandi haud penitus imperitus, artis vero Anatomice apprime studiosus, occasionem oblatam haud duxi negligendam, sed quæ oculis subjeci fidelibus, manu sic imitari studui, ut veritatem exprimere, erroresque emendare possem.

A capite, præcipua parte hominis, hic sumam initium, & quidem ejus pulcherrima pars, facies, primo materiam suppeditabit. Observavimus in ea structuram, tam diversam, ut nostra delineatio, aliorum Anatomicorum minime conveniat. Neque tamen ideo dico illos, errores commisisse: nam forte pendet ab instituto Dei infinitè Sapientis, quo vultum humanum aliis in hoc, in altero aliis lineamentis instruxit distinxitque, ne hinc confusio oriretur: similitudo enim, in toto humano genere, binos inter homines perfectâ non invenitur.

Verum si una facies ab altera differt, majus discrimen adhuc est, eandem inter vivam & mortuam. Vultuositas tunc & omnis nitor, quo Glycera urebat Horatium, abest. Si virilis fuit vultus, qui paulo ante ipsum Martem percelleret terrore, nunc emarcidus, flaccidus, spiritu non turgens, nec metuendus jacet. Si pulchræ feminae facies sit, quæ bellicoso homine fortior, Alexandrum ipsum profligasset, omni nunc imperio exuta, evanescit. Oculi tam nitidi, splendidi, incendium minitantes, nunc obfuscati sunt. Cynthiae lumina Propertium incarcerationis sine ullo splendore collabascunt. Os, a quo primo suspirans amator, vitam aut necem expectabat, & se felicem existimans, pro ut modo in hanc illamve partem inclinabat, illud dulce ridens & loquens Lalagis, amabili dulcedine destitutum, flaccidum, pallidum, pendulum & immobile fordescit. Genæ purpuram æmulantes & lepos formæ fuere. Supersunt filamenta & sacculi pinguedinosi, aliis vasculis irrigati, quæ investigare nostrum propositum est; ut ex hac deformi massa elicerem aliquid, demonstrando scilicet verum situm & fabricam, quo alii suam formam melius excolere, servare, & amissam quodammodo recuperare possunt.

## FIGURA PRIMA

**I**N hunc finem aliquot faciei musculos ostendit; sed illos descripturum oportet dicere, quid per faciem intelligatur; quod nobis facile vulgaris definitio absolvit: nimirum quod spatium est inter exordium capillorum, & mentum, utrisque ad latera auribus terminatum: nobilis hæc hominis pars, cui os sublime dedit Divinum Numen, maxime illum distinguit a cæteris animalibus.

Ex hac definitione data patet illico, locum, qui dicitur frons, non minimam faciei partem occupare; ibi juvenilis ætas sedem posuit, dum glabra & polita superficie, hilaris apparet;

A

annis

annis vero incrementibus indicia ibi prima senectutis pinguntur, & tempus omnia subvertens, hic rugas & sulcos exsculpsit, quibus (antea lascivus puer) nunc severum Catonem repræsentat; hoc non tantum ab ariditate cutis, senili ætati propria, sed & a fibris, ei subtentis fit, quæ rigescunt.

Egregius *Vesalius* has ita descripsit: *Frontis cutis universa, qua depilis est, simul cum nasi cute motu voluntario opportunè agitur, quod carnosæ membranæ totius frontis, & nasi cuti subtensæ sit beneficium.* Sic magnus ille *Anatomicus*, simul proponens duas administrationes hæc demonstrandi; quarum una hic, altera *Elegantissima Bidloi Tabula V.* exhibetur. Sed *Vesalius* nimis rectum depinxit hunc frontalem muscolum, sive has fibras decurrentes, uti etiam *Dexterrimus Cowperus*; contra rursus *Anatomicorum Princeps Eustachius*, nimis oblique repræsentat, uti annotavit *Clarissimus Morgagni*; veritati verò magis accedere *Eustachium*, ex conspectu cadaverum puto: præcipuè ad supercilia; ibi igitur suaderemus Chirurgo *Eustachianas* sequi *Tabulas*, & oblique secare, sed supra nasum magis verticaliter. Patet hinc quod Chirurgus accurate debet scire, harum decursus: aliter ex instituto artis nil præstare potest; sic pulchritudo, quæ sæpe tanti fit, ab imperita manu periclitatur ex incognita structura: parallelam enim fibris sectionem instituere nequit, si situm ignorat, hac tamen sola methodo, turpem cicatricem cavere potest.

Apparuere mihi istæ fibræ, carnosæ, a superiori circumferentia ossis frontis descendentes, antrorsum, oblique centrum quasi versus, hinc sensim minori spatio comprehensæ crassiorem molem constituunt; donec inter canthum oculi majorem & partem nasi supremam, deferunt se invicem: hæ decurrunt supra dorsum nasi, ultra dimidiam & constituunt triangulum quasi *Isocheles*; illæ vero a superciliis arcuato flexu pergunt usque ad canthum oculi majorem. Sic absolvo frontium fibrarum, muscolum sic dictum constituentium, descriptionem, a quo totus hujus partis motus pendet.

Alii fuere Auctores, qui hunc divisere in diversos musculos, uti *Coiterus*, qui fibras illas incurvatas pro novo habuit musculo, a priori diverso. Forte per actionem hujus musculi deceptus fuit: primo enim intuenti aliquid subesse videtur, quoniam mirus hic musculus actione variat; nunc hac, nunc illa parte, pro capite, i. e. pro firmiore parte utens; corrugat enim frontem, & explicat supercilia; sed opposito motu etiam deprimit supercilia. Sed *Dexterrimus Cowperus* & *Clarissimus Morgagni* ex observata structura, recte pro parte prioris habuere: & concipimus motum ita: frontalis, si solus agat, frontem corrugat, & supercilia explicat; verum si simul agat orbicularis oculi sphincter, in inferiori parte firmior est, & supercilia deprimit: quod Naturæ minime repugnat, sic agunt enim in respiratione a voluntate pendente multi muscoli, qui aliter ad respirationem non pertinent, uti *Scaleni*, qui costas minime elevarent, nisi primo cervix firmaretur erigentibus suis musculis, *Spinali colli*, *Transversali colli*, *Inter-spinalibus colli*, *Longissimo dorsi*, *Semispinato* &c.

Si igitur frontalis musculus cum orbiculari agat, supercilia deprimendo umbram oculo constituit, quam sæpe sole, aliove lumine radiante coacti sumus manu facere, ne visus turbetur: verum corrugando cutem, equi, aliaque animantia muscas avertunt & apes, qui usus non obtinet in nobis, sed videtur tantummodo inservire actioni, priori oppositæ, ut nempe in obscuris locis plures acciperemus radios removendo supercilia. Præterea hic musculus ad tegendam & defendendam frontem inservit, & quod non minimam usum partem absolvit, ad exprimendos animæ affectus. Antiqui hoc ultimum jam observasse patet, eloquentiæ Patre, qui frontem habuit pro janua animæ; & explicata frons, veteribus hilaritatem indicare patet Comico; a quo forte illud didicerat incomparabilis Pictor *Antonius van Dyck*, sui ævi lumen, & posteritati exemplum, in cujus tabulis miramur pulcherrimum semper nitorem explicatorum oculorum, & frontis, dum hominem depingendum ita locabat, (paulo nempe depressius, quam ipse sedebat) ut necessario deberet frontem explicare oculosque, dum Pictorem intueretur, sic evitabat visum durum atque tristem (quo vitio plerique effigium Pictores laborant) sed contra hilarem pingebat, qua astutia, juncta artificiosissimæ manui, palmam omnibus præripuit.

Secundus musculus, quem describendum habemus, est orbicularis oculi, quo ditare oculos sagax Natura voluit, ut melius ab injuriis externis defenderetur, alios enim dedit motui infervientes. Hic musculus sphincter circumambiendo munit oculum, in una tamen parte magis, quam in altera; attamen ex hac structura non minus divinæ sapientiæ argumentum elici potest; ibi loci enim, ubi minima metuenda esset corporum irrudentium vis, minime defenditur, i. e.

hunc scivisse, ut & *Placentinum*; cujus tamen Figuram hunc referentem, uti *Cowperus* scripsit, invenire nondum potuimus, neque apud alios, uti perperam textui *Cowperi* adjunxit *Drake Anthrop. TAB. XXXIX.* vide in nostra *TABULA* 19. 27. 16. 23.

Hic Musculus eandem actionem in homine videtur facere, quam in irato & prædam captante cane vidimus, suum ridum, tremulo motu attollente, & hosti dentes ostentante. In hominibus, qui ita Stoici non sunt, quin affectus aliquando vincant rationem, ejus actio videtur, dum summa ira excitati sunt, vel in summa desperatione: tunc enim deleta omni ratiocinio, instar bruti operis est, quicquid agunt.

Sequitur alter Musculus, suum ortum habens ex quarto maxillari osse, sub Gracili, descriptum inter & Zygomaticum pergens; fibras, ut hic videtur, per totum mentum dispergit; hinc totum elevare os videtur ad latera, i. e. ad risum componit; si vero labium superius ad latera solus attollit, significat dolorem vel molestam aliam perceptionem. Similem fere musculum *Eustachius* in sua XXXXI. *TABULA* Fig. I. 20. 18. & Fig. III. 20. 46, delineat, qui tamen magis in labium superius terminari videtur, sed forte idem est; *Lancisus* non meminit hujus in sua Explicatione illius Tabulæ.

Zygomatici Musculi divisas fibras a se invicem decurrunt ab osse Zygomatico, dein uniuntur & descendunt, antequam ad angulum labiorum pertingant, pergunt, exspatianturque per mentum totum usque ad marginem maxillæ inferioris. Si agunt, hilarem vultum constituunt: ad risum enim disponunt os.

Musculus Orbicularis labiorum circumambit os fibris orbicularibus: si igitur agat sphincteris instar, claudit os; hinc sibilando agit, & spuendo; Osculatorius a suo munere etiam vocatur quibusdam; pronuntiando voces agit, ita, ut custos oris sit, & nil ingredi possit sine ejus voluntate. Utinam suo munere ita functus nil egredi permetteret, nisi attento animo, tunc certe auro carior, & nullo pretio comparari posset ejus fidelitas.

Musculus Buccinator oritur fibris a parte anteriori Coroniformis Processus; hinc antrosum decurrit, adhærens utriusque maxillæ margini, & inseritur circa angulum labiorum. Videtur nomen accepisse a functione: in illis enim, qui filios bellicosos Martis, præ gloria furibundos & homines demetentes, accendunt cantu, & buccinando ejulatum supprimunt, ne commiseratio sævitiem reprimat, maxime agit, reprimendo æquali vi, qua aër extendit genas, quæ aliter diffilarentur: si unus agit, trahit os ad suum latus, uti in Agyrtis & Scurris videri potest; si vero ambo agunt, rursus alia, & priori plane opposita, facies prodit in Scenam, quod plerumque in fletu, in dolore, & in ira violenter fit, sed violentissime agunt distrahendo os ad aures in summa desperatione, terribili adspectu.

Sequuntur adhuc duo Musculi in nostra Tabula, qui Maxillæ Inferioris vocantur: primus est Temporalis, qui oritur ab osse frontis, sincipitis, sphænoidis & temporali, fibris, quæ omnes a circumferentia, versus centrum sub osse jugali decurrunt, (a quo nullam observavimus fibram huic Musculo porrectam) & progredientes, partim carnosæ, partim tendinosæ, circumapplicantur Processui Coroniformi inferioris maxillæ. Hic Musculus est fortissimus; manducationi, & morsui præcipue inservit; agit etiam fortiter in iracundo & desperato homine, dentibus fren-dente.

Musculus Masseter sua actione pulcherrimus, manducationi inserviens, oritur ab osse primo maxillæ superioris & jugali, hinc descendit, & inseritur exteriori maxillæ inferioris parti; si itaque agat motum stridulum dentium, in iratis excitare potest. Antagonistæ huic perfectæ sunt Pterygoidei: si enim hi agunt, simul cum Masseteribus, firmant & quietam tenent Maxillam inferiorem, in foveola Processus Petrofi, qui cum Processu Maxillaris ossis jungitur; & cui articulatio est Maxillæ inferioris, non in sinu ossis Petrofi, uti omnes putavere, donec illud contrarium invenerat, Clarissimus *Rau*, Dexterrimus Anatomicus, &, dum viveret, laudandus meus Præceptor. Verum dum Masseteres superant manducando, tunc Coroniformem Processum applicant sinui, qui glandulosa & pinguedinosa substantia impletur, qua pressa, inungitur articulis, & eo tempore, quo maxime requiritur, oblinitur, i. e. dum motus fit: qui, si humor hic lubricans deficit, audiri potest, uti in scorbuticis, & lue venerea affectis, miseris hominibus.

Supra hunc Musculum solers Natura Ductum Salivalem posuit a glandula porrectum, quo situ acceleratur salivæ iter, eo tempore, quo plus requiritur, i. e. dum hic Musculus manducando agit; tunc hic Ductus perforat Buccinatorem Musculum, mirabili instituto, & effundit eo loco suum

in Cantho majori, ubi nasus vice clypei fungitur, dum tendo Musculi ibi est. Cæterum observavi in palpebra superiori, non tot fibras, ac in palpebra inferiori, ubi tamen haudquaquam ita extensus nobis apparuit, quam Cowperus in *App. & in Myotom. Reformata*, repræsentat. Hic Musculus suis nulli ossium, nisi forte ad Canthum majorem ossi quarto, adhæret fibris; uti etiam reliqui in corpore Sphincteres, vesicæ scilicet, recti intestini, oris, alique, qui si ossi adhererent, suum officium nequaquam præstare possent. Circumjacet oculo, ita tamen, ut in angulo minori insertionem non observaverimus, uti quidam volunt; & *Spigelius* dubitanter, quod certe Anatomicum non decet, delineat; una enim eademque Tabula repræsentat intersectionem in angulo exteriori, & alia Figura ejusdem Tabulæ non delineat. *Vesalius* non bene descripsit, neque Figuræ expressit, nec observavimus multo feliciorum in hac re *Barth. Eustachium* in sua *Fig. I. TAB. XXXI.* fibræ enim ad palpebram superiorem decurrentes, sunt tenues & sensim circa Frontalem Musculum evanescentes, ita ut delineare visui subductas non potuerim.

Usus hujus Musculi est oculum claudere, defendere sic ab injuriis, quæ lædere possunt, & obfuscare visum, ut pulveres in aëre volitantes, & similia: si vero fortiter agat, oculi bulbum introrsum premit contra Glandulam Lachrymalem, hinc si quid jam oculo inhæreat, tali contractione exprimit lachrymas, quæ abluere possunt, quicquid obstet; præcipue dum Natura, rerum servatrix, tam mirabili instituto, hic motum determinavit, ut palpebræ primo ad se invicem adducantur in angulo minori, majori paulo altius posito, hinc si quid abstergendum sit, determinatur versus majorem angulum, extra oculum positum. Contractione hujus Musculi, & fricatione manus sciunt malevoli pueri lachrymas extorquere, dum parentes, tristi visu, & molestiori fletu cogere volunt ad obsequium petulantiae. Hic Musculus robustior est quam Elevator palpebræ superioris; hinc ad dormiturationis initium superat illum, claudit oculum & dormituro defendit. Si cum Frontali agit, umbram facit oculo, ut in vividiori luce possimus videre.

Numerus ac Situs Musculorum ita differt, ut vix nostram Figuram nominibus aliorum accommodare possimus. Sic in eleganti *Eustachii TAB. XXXI. Fig. I.* occurrunt nobis quatuor Musculi: duo scilicet Pyramidales alarum nasi Dilatores, labrum superius Attollens, & Gracilis, qui mihi apparere quasi tres; si cui nunc unum ex his, quem vult, in duos distinguere placet, potest, uti 17. 22. in *Fig. I.* habemus pro nasi Dilatore, si vero hunc concipiamus pro duobus, 20. 23. pro Gracili haberi posset.

Alter Musculus 18. 23. est quintum par *Falloppii*; quod sic bene descripsit: *Ortum ab ambitu osseo oculi ac cavitate dorsum nasi, descendit in alam narium partim, partim vero in labii superioris partem.* Hic Musculus, si agat, dilatat alas narium, simulque labium superius elevat; qualis actio videtur in facie, cui aliquid odore, vel visu obest molestum: maxime hunc in usum habent illi, qui detractores contemptoresque sunt aliorum, & forte hæc verba in uno vel altero eundem motum excitabunt.

Tertius Musculus 20. 23. si pro Gracili auctorum habere quis vult, non obloquimur multum; nisi quod in nostro subiecto, non ita gracilis apparuit, ut isto nomine appellari mereatur: neque actu suo, ita ad actionem Zygomaticorum videtur conspirare, uti Nobiliss. Pontif. Archiat. *Lancisso* placuit; sed ex conspectu, illum pro Elevatore labii superioris habere decet, simulque pro Depressore Musculo palpebræ inferioris: nam a malarum osse oritur & oblique descendens in latere labii superioris inseritur; quæ descriptio absolvit tertium *Falloppii* par.

In risu, lætitia, & hilari vultu agit, & paululum in tranquillitate animi. Itaque maximi usus est hic Musculus: quot sunt enim *Democrites*, stultitiam hujus ævi deridentes? quot sunt, quibus risus, ab omni fere re excitatur, & qui illud puerilis ingenii indicium comprimere nequeunt? sed & quot sunt, quibus Deus larga, (ut & sapientibus, quibus parca sufficit) manu obtulit, quod satis est, degentibus vitam tranquillam? quod actione horum Musculorum in facie quasi digito indicatur.

Quartus Musculus Constrictor, vel Depressor pinnae narium, oritur ad angulum labiorum; hinc ascendit sub dictis, decurrit juxta alas narium, amplexatur paululum & supracandit. Hunc Musculum debemus, si *Eustachium* excipias, *Bidloo*; prior enim in *TAB. XXXI. Fig. I. & III. 17. 20. 17. 48.* delineat optime, post eum nemo Anatomicorum hunc Figura expressit; *Falloppius* tantum de hoc aliquid dixit; donec *Bidlous* in *TAB. XII.* illum delineabat; verum *Cowperus* in sua operis *Bidlo*i editione dicit, se nunquam observasse talem harum fibrarum dispositionem in ullo cadavere; etsi de industria examinato. *Cowperus* etiam memorat *Falloppium*





suum humorem, quo cibi comminuuntur maxime duri, & salivæ plus requirentes, ad medium nempe molarem maxillæ superioris, inde affluendo miscetur cibus intra molares comminutis.

Singulatim jam de actione horum Musculorum dictum est, nunc vero restat, ut dicamus, quid efficiant, si omnes simul vel successive agunt. Nam mirabilem actionem faciunt, & nulla hæcenus inventa machina imitabilem: se enim contra gingivas, & dentes applicant ita, ut ne mica panis nec guttula aquæ hære ibi possit, quin teratur in secundam oris cavitatem; ut motu linguæ commolatur, vel intra molares deducatur vel deglutiatur: & sola hac actione satisfacere hi Musculi; sed præterea aliquid in facie efficiunt, quo hunc amare, illius aspectum ausugere incitatur; & quo hunc severum, illum jucundum, tertium morosum judicamus, &c. quæ Physiognomicis relinquimus.

Aliquid tamen de Affectibus animi dicendum est, qui ab his Musculis in facie depinguntur; vix enim Simulator hic se subducere queat, quin hinc inde eluceret veritas. Hos Affectus, qui ut morbi animi apparent, si cognosceret Medicus, felicissimum eum fore non dubito: si enim sciret hoc perfecte, præsto esset remedium ex causa contraria petitum; sic enim malevolus & iracundus homo illico compesceretur metu, severo judice, vel Rege vindice capitis præsentante.

Veteres hos animi Affectus distinguebant in duas Classes, unius vocabant Simples, alterius Compositos Affectus. Sub classe priorum comprehendebant Odium, Cupiditatem, Lætitiam, Tristitiam, & alios; Metus, spes, ira, alique sub Compositorum numerabantur Classe. Exemplo ex singula classe uno, rem illustrabo, quibus omnes Affectus cognosci possunt; differunt modo majori vel minori gradu. Amor ex Classe Simplicium unus, sic se habet in facie: frons explicata apparet, supercilia ad latera deducta, & oculi versus objectum splendent, dum vix ullus Musculus agit, Temporales & Masseteres paralytici efficiunt, ut os hiet, quo melius, oppressus, & anxius pulmo spirare posset, dum cor inordinate saliens illum & faciem sanguine implet, inde color rubicundior, & accumulatio sanguinis ibi, hinc suspiria, & anhelationes; saliva copiosior in os affluens; transudatio liquidissimarum partium, quibus labia rore quasi inspersa & madida apparent, & facies nitore quodam renidet. Sed tota hæc amabilis & pulchra facies evanescit, dum ira accenditur animus: Frontalis tunc Musculus & Oculorum Orbiculares, supercilia depri-munt supra nasum, & tota frons corrugatur; Dilatores Nasi summa vi agunt & Labiorum Musculi; omnium vero maxime Elevator Labii inferioris, quod supra Labium superius fortiter extendit, dum Elevatores Labii superioris, hoc elevant ad latera, quo risus crudelis & sanguinarius repræsentatur; interim Temporales & Masseteres strident dentibus; & quia ira est oppugnatio causæ mali accepti, ad vindictam sui, a Fidentia & Dolo excitati, hinc conspirant Vires totius corporis; sanguis in pulmonibus accumulatur, anima diu retinetur, & facies sanguine impletur: hinc oculi ignis adinstar rubescunt & protuberant in æquilibrio suspensi, quo facile vertantur, prout objectum vertitur; saliva ore diffluit, dum sanguis appulsus facile redire nequit, quo secretio plus fit; hic pallet, ibi rubet facies; nunc agente nunc relaxato Musculo: Venæ Jugulares tumet & uti Poëta:

*Rigent illi metu capilli.*

Hic status obtrinet, donec transit in desperationem adspectu terribiliorem, vel donec mens pacatur, & ad sedationem præscam redit.

## FIGURÆ I. EXPLICATIO.

**M**usculus Frontalis 10. 10. partim fibris excurrentibus supra nasum 14. 18. partim arcuato flexu desinens ad Canthum oculi majorem 17. 17.  
Orbicularis oculi Musculus, totum oculum ambiens 22. 14. hic sensum ejus fibræ evanescunt ut & 27. 17. ubi nec tendo nec intersectio apparuit.  
Angulus externus oculi 26. 17. altius positus quam 18.  
18. Canthus oculi major.  
Musculus, quem pro Dilatore nasi habemus 17. 22.  
Musculus alter ab ambitu osseo oculi ortus, & descendens, partim in nasi alam, partim in labium superius determinatur 18. 23.

Musculus Gracilis ab auctoribus dictus, hic non ita gracilis apparens, a malarum osse oritur, & fibris connectitur Orbiculari oculi; hinc oblique deorsum descendit, & in labium superius terminatur 20. 23.  
Musculus in angulo labiorum exoritur, oblique, arcuatim sub jam descriptis decurrens, & paululum alam nasi amplexus, ibi fibris tenuissimis evanescit. 19. 27. 16. 23.  
Musculus, qui sub Gracili ex quarto maxillari osse oritur, inter dictum 19. 27. & Zygomaticum decurrens per mentum fibras dispergit. 20. 27.  
Musculus Zygomaticus dictus ab ortu; hic sumpsit divisas fibras originem 24. 21. & 26. 24. hinc, ut ex figura patet,

ter, per mentum totum dispergitur.  
 Musculus Orbicularis Labiorum 15. 28. 14. 32. cujus Intersectio apparet 17. 29.  
 Musculus Buccinator a Coroniformi Processu antrorsum decurrens circa Angulum labiorum inferitur 25. 30.  
 Musculus Temporalis 30. 10. 40. 15. Dispositiones fibra-

rum transparent per membranam eum tegentem, a 30 usque ad 40. in latitudine, & a 9 ad 12. in altitudine.  
 Musculus Masseter 30. 27. 33. 30.  
 Arteria Carotis 31. 40. in Externam & Internam divisa.  
 Cutis retractæ portio 45. 25.

## FIGURA SECUNDA.

Hic exhibemus Arteriam Græcis Carotidem dictam ab effectu, quia soporem adfert: hinc Latine Soporalis audit. Ruffus Ephesius *Lib. 1. Cap. 34.* hanc soporem adferre negat, hinc aliud nomen permetteret; sed *Realdus Columbus* publice in theatro demonstravit, hunc effectum præstari hac Arteria: itaque nomen retinebimus, utpote rei congruens. Sic enim quotidie experimur post prandium somnolentiam, quam facile deducere possumus ab effectu hujus arteriæ; nam ventriculo extenso premitur Aorta descendens, quo sanguis copia majori ruit in Carotides; quæ hinc extensæ comprimunt cerebrum quodammodo, quo motus animales non ita expedite absolvuntur, verum vitales augentur motus, quæ ambo fiunt in somno. Occasione hic data debeo rogare Medicos, cur somnum post prandium ita vitent, & non attenti huic Divini Opificis instituto, homines ad ambulandam incitent & motus? Apparet certe ubique Natura sibi servatrix: Actiones Vitales, tempore somni maxime agentes, sunt, quæ peragunt digestionem, concoctionem &c. quibus æquabilissima fit distributio, & optima applicatio particularum nutritivarum. Somnus est, quem cura fugit, & qui ut optime cecinit Poëta:

— — — corpora duris  
 Fessa ministeriis mulcet reparatque labori.

Sed transibimus ad descriptionem hujus Arteriæ Soporalis; cujus ortum plerique Anatomicorum, ne quidem *Vesalius* excipio, male designant; *Eustachius* fere solus bene depinxit, sed ejus iter ulterius, & distributio per faciem, haud ita bene absolvitur; neque post illum ab ullo, nedum accurato *Nuckio* excepto, Anatomico. Omnes, qui Systema Arteriarum depinxere, hoc vitio laboravere, quod, dum Faciem Anteriorem delineabant, tunc Carotides, Externas & Internas, quasi juxta se invicem positas, repræsentabant, dum interim in initio, una post aliam posita decurrit, hinc ratione situs, quem obtinent, non partium, quas petunt, dicenda erat Carotis Anterior, & Posterior.

In hac Figura delineavimus ambas, capite ad latus deducto, quia aliter, si facies cadaveris, delineantis faciei e directo opposita esset, impossibile foret ambas delineare: itaque nec *Drake*, neque *Cowperi* Tabulas, quæ non multum differunt, pro perfectis habemus. Cæterum de hac nil dicendum habeo, Indicatio enim Figuræ, iter & reliqua absolvit hujus Arteriæ.

## FIGURÆ II. EXPLICATIO.

Cutis resecta margo 30. 62. 37. 62½. 40. 69. 41. 47.  
 Claviculæ 12. 81½. 29. 83.  
 Mastoidei Musculi 23. 78. 35. 81.  
 Jugularis 24½. 79.  
 Nervus Octavi Paris 25. 80. & in Volucris ejus Arteria parvula conspicitur.  
 Arteriæ Vertebralis Ramusculi 26. 81.  
 Sternohyoidei Musculi 31. 82.  
 Os hyoidis 35. 77.  
 Glandula Submaxillaris 34. 74.  
 Glandula Parotis 33. 70.  
 Orbicularis Musculi Palpebræ pars 38. 66.  
 Arteria Carotis sinistra 28½. 85½.  
 Truncus Arteriæ Innominatus 26½. 85½.  
 Ramulus Arteriæ ad Glandulam Thyroideam & vicinas 28. 84.  
 Arteria Subclavia dextra 26. 83.  
 Arteria Carotis dextra 27. 82. eaque tripartita 28. 77. in

Carotidem Internam, ascendentem 28. 76. ad 29. 71. basin calvarie;  
 Carotidem Externam 28½. 76½. &  
 Ramum 29. 77. ad subjecta ossis hyoidis.  
 Ramus Carotidis Externæ 29½. 75½. mox divisus in inferiorem 31. 75½. ad linguam; superiorem 31. 74½. cujus Ramus 34. 73½. secundum Maxillam decurrens, & Ramus suprascandens Maxillam 36. 72. divisus in inferiorem 38. 72. ad Labium inferius; & superiorem 37. 72. ad Labium superius: Ramus tertius 33. 73. ad Masseterem pergit.  
 Ramusculi tres 28½. 74½. ad Mastoiden & vicina.  
 Ramus 30. 73½. ad Pharyngem & Pterygoideos Musculos.  
 Ramus 29. 72. ad Duram Matrem.  
 Ramus 28. 70. ad posteriora Auris.  
 Ramus 31. 70. ad Parotidem.  
 Ramus 31. 69. ad anteriora Auris ascendens, & pergens ad 34. 64. in Temporalem dictam; inde in 37. 65. ad Frontis anteriora & Oculum externum; & 35. 63. ad Frontis superiora.

## FIGURA TERTIA.

Ostendit hæc Figura Nervum inter Primam & Secundam Cervicis Vertebra[m] ortum, hinc Vertebralem dictum; quem eleganti Figura expressit Clarissimus *Valsalva*: nostra juxta cadaverculum exquisitè delineata differt tamen ab illa, in eo, quod ramulos non emittit, nisi unum, qui anteriora petit, & supracandit Tuberculum Auris majus, superne vero abscissus apparet, Cranio nimirum ablato, ulterius investigare non potui.

## FIGURÆ III. EXPLICATIO.

Secundum Par Vertebraliū Nervorū 14 $\frac{1}{2}$ . 55. | Tuberculum majus Auriculæ, quod supracandit.  
Ramus ejus anteriora petens 13. 50. usque ad 9. 50. | Tuberculum Auris minus 8 $\frac{1}{2}$ . 49.

## FIGURA QUARTA.

Proponitur hac Figura portio durior Nervi Septimi Paris, ubi per foramen Ossis Petroſi descendens, externe ad Radicem Auriculæ se visui præbet; inde antrorsum descendit ad 47. 55 $\frac{1}{2}$ . ubi in duos Ramos dividitur; unus 47 $\frac{1}{2}$ . 56 $\frac{1}{2}$ . descendens ad glandulas, cæterasque partes submaxillares, largiens in transitu duos 49. 56. & 49 $\frac{1}{2}$ . 57 $\frac{1}{2}$ . Masseteri Musculo ramulos; ulterius pergit & se visui subducit.

Alter Ramus 47 $\frac{1}{2}$ . 55 $\frac{1}{2}$ . ascendens ad Condyliformem Processum usque, ibi dividitur in aliquot Ramos, primo in duos 49. 54. & 49 $\frac{1}{2}$ . 54 $\frac{1}{2}$ . Quorum Superior illico in tres alios 49. 53 $\frac{1}{2}$ . 50. 53 $\frac{1}{2}$ . 51. 54 $\frac{1}{2}$ ; Inferior in duos 50. 54 $\frac{1}{2}$ . & 50. 55. dispergitur; Ultimus 51. 54 $\frac{1}{2}$ . superioris distributionis facit insulam cum Primo 50. 54 $\frac{1}{2}$ . Inferioris divisionis Ramo: sicque hi Ramuli simul elegantem præbent conspectum, quod celeberrimus *Du Verney* Professor Reg. Paris. a similitudine Pedem vocavit Anserinum. Digni hujus Pedis (ut ita dicam) per totam faciem porriguntur; ad Frontalem, & Temporalem Musculum, ad Oculum & omnium maxime ad Nasum, Labra, Masseterem, & Buccinatorem. Porro hic notandum est Clariss. Viri *Du Verney* pulchrum observatum: quod nempe Ramus 47 $\frac{1}{2}$ . 54 $\frac{1}{2}$ . Quinti Paris eodem circiter loco exoritur, & ad Crotaphitem Musculum ascendens 47 $\frac{1}{2}$ . 53, paulo supra ortum emittit Ramum 48. 54. antrorsum, Septimo Pari, antequam digitos explicat & supra Collum maxillæ extendit. Interim Ramum hujus Septimi Paris post aurem invenire non potuimus, tantummodo istum in *Fig. III.* notatum. Nil ulterius in hac Figura notandum restat, nisi Styloformis & Mammillaris Processus, ille 45. 55. hic 45. 54. indicatur.

In Explicatione *Figuræ I. hujus TABULÆ* dixi, quod Animi Pathemata in facie ut in libro videri possunt; sed quo apparatu hoc fit, ex contemplatione hujus Figuræ apparet. Ex perceptione soni ingrati, illico facies mutatur à Nervis Septimi Paris, hic Pedem Anserinum constituentibus, cujus altera portio, Mollis dicta, auditui inservit. Sic a visu, olfactu, gustu &c. afficitur homo, & non tantum facies, sed & totius corporis actio concurret ad affectum exprimendum; quod sciunt optime arte periti Pictores; & quod interne totus commovetur homo, nemo vivus affectuum expertus ignorat. Hoc ex positione Nervorum ita explicari potest; ex auditu enim moventur Nervi Septimi Paris, quo semul afficitur Quintum Par, huic Septimo allociatum, tuncque simul alii Quinti Paris Ramuli in actum deducuntur, qui nempe oculis, Musculis faciei, palato, linguæ, & cæteris prospiciunt partibus. Præterea hoc Quintum Par pro parte constituere Nervum Intercoſtalem omnes sciunt, qui Intercoſtalis Nervus Musculis sic dictis, & omnibus Visceribus, simulque Genitalibus, prospiciens, facile omnia movet, quæ diversa pati itaque debent, prout idea in cerebro nata variat. Tandem considero *Fig. III.* ostendentem Nervum Vertebralem decurrere ad aurem, qui etiam excitatur, ut & Vertebralis Nervo Noni Paris linguæ prospicienti connexus, ab *Eustachio* optime delineatus in omnium pulcherrima sua *XVIII. TABULÆ*, & præterea Vertebralis a nemine adhucdum descriptus, quem eodem modo, ac priorem, se habentem vidi.

# IMPETUS PRIMI

## TABULA SECUNDA.

**E**N Cistam, tibi apertam, L. B. & inde prodeuntia, (alia quam ex illa Pandora) argumenta nempe summi Numinis sapientiam indicantia, quæ Capsula non *Indico* Ebore nec Gemmis splendens, usu vero omnem Regalem Pyxidem superat: servat enim, & tuto recondit illas partes, tam mirabili structura compositas, ut ex isto parvo spatio prodeant animalia vincula, Nervi nimirum, per totum corpus dominantes; a quibus vita & omnis actio pendent. Sed, ut hæ tenerrimæ partes, ab externis injuriis munitæ essent, hinc est, quod theca eas ossea, mirabili nexu, ex multis conflata, ita ut nec lædi, nec solvi facile possit, Protoplastes includit; internam vero superficiem, ne mollis hæc substantia, in scopulis & eminentiis Cranii, naufragium patiatur, Membrana dura, polita, forti investivit. Hæc Membrana, vasa, intima petentia, conducit, & suo munere functa, benigno sinu, accipit redeuntia; hanc Membranam, Duram Matrem dictam, alios cum laude descripsisse scio; sed paucula tantummodo de sinibus annotare animus est. Sinuum enim, quos indicabo, posituram mihi aliter apparuisse, quam hæcenus observatum ab ullo Auctore fuit, ex delineatione & sequentibus patebit.

### FIGURA PRIMA.

**D**Emonstrat hæc Figura humani Cranii, ferrâ divisi, partem inferiorem, Dura Matre ubique investitam. Hujus Duræ Matris partes, quæ nostro scopo inserviebant, servatæ hic occurrunt, & primo quidem Processus Duræ Matris cerebrum juxta longitudinem, in duo hæmisphæria distinguens, & a figura Falx vocatus. Hic Processus illi usui inservit, ne una cerebri pars incumbendo, suo pondere comprimat aliam; & præterea, ut Sinus, qui ad ejus marginem decurrunt, stabiles essent, non vacillantes. Primus Sinus, quem describo, Quintus dictus, ad limbum inferiorem, dicti Falciformis Processus, positus, sanguinem ab anteriori versus posteriora vehit; nec magnæ capacitatis apparet: hinc potius Venæ, quam Sinus nomen meretur. Alter, in superiori ejusdem Processus parte apparet, magnus, Longitudinalis dictus, a situ: occupat enim situ debito, summum medium capitis; hic vero e regione sua remotus, lateri cranii aciculis affixus, & apertus apparet; quo membranulæ semilunulas referentes, in ejus anteriori superficie vice valvularum fungentes, conspicuæ sint. Sanguis versus posteriora per hunc motus effunditur, ut dixere, in Sinus laterales; sed potius dicendum, ut structura mihi indicavit, in Sinum sinistram, Lateralem, qui tantum Longitudinalis continuatus & protractus videtur; & ex hoc tunc Laterali sinistro Sinu, oritur alius, quem Dextrum Lateralem vocavere, hic minus capax, quam Sinister, sanguinem ab illo accipit, cujus perfecte ramus videtur. In altitudine horum Sinuum elongatur Dura Mater introrsum, ita ut productio ejus, instrata cerebello, obtegat illud, & sic septo, a cerebri camera distinctum, tuto recondat, ne a mole incumbentis cerebri, comprimi possit. In medio hujus Processus, decurrit Sinus Quartus, supra cerebellum; qui Sinus a Quinto accipit sanguinem, & etiam a Sinu, melius dicam Vena, quæ juxta os Occipitis assurgens, aperto ore, in Quartum Sinum hiat; qui sanguinem acceptum, demittit in Lateralem Dextrum.

Hi Quinque descripti Sinus sunt præcipui; sunt & alii, quos probe scio ab Auctoribus descriptos, qui tamen magis ad Venæ naturam, quam Sinus accedunt: aliquot tales indicabit *Fig. I.* de quibus hic agere nostri instituti non erat. Maxima cerebro redundat securitas a Positura Sinuum, quos solers Natura ita locavit, ut cerebrum nequaquam comprimere possint; quod si multæ essent Venæ, aliquando fieri, haud absurdum patet. Præterea aliud quid mirum subest, quod nempe hic Venæ (vel Sinus) non suis concomitantur arteriis, ut in reliquo fere toto corpore fit; sed plane diverso itinere per singularia, quod notandum, foramina cranii, intrant Arteriæ, exeuntque Venæ. Tali circumspeditione prohibitum est, ne Arteriæ hic Venas comprimere possint; si copia vel majori motu &c. magis extensæ essent, unde multi morbi, & sæpe mors subsequeretur.

Fig. 1




Fig. 2






Fig. 3





## FIGURÆ I. EXPLICATIO.

*Monere debeo, quod omnes hujus II. TABULÆ Figuræ, inversæ apparent, ita ut, quicquid in latere dextro conspiciatur, in sinistro concipi debeat. Hoc vitium negligentia sculptoris accidit nec (quod doleo) emendari potuit, nisi L. B. velit Tabulam luci opponere, & dorsum ejus contemplari, quo omnes in situ debito conspiciantur Figuræ.*

**S**inus Longitudinalis Apertus 37. 19. ab Anteriori 32. 33. versus posteriora 27. 11. tendens; in ejus interiori superficie

Membranulæ, semilunulas referentes, munus valvularum venis in hunc Sinum sese exonerantibus præstantes 34. 12. 37. 16. 36. 23.

Margines dicti Sinus, quibus resecta est Dura Mater, superius obtegens duo cerebri hemisphæria 35. 24. 38. 18. 38. 19.

Locus, quo transit in Lateralem Sinum Sinistram 26. 11.

Processus Falciformis 34. 20. e regione sua remotus & aciculis extensus, ut figura ejus melius conspiciatur; & simul in limbo inferiori

Sinus Quintus, decurrens ab 29. 36. ad 29. 18. ubi se in Sinum Quartum a 25. 16. ad 28. 17½. effundit; hic Quartus accipit sanguinem simul a

Vena juxta os occipitis ascendente, cui aciculus intrusus 25. 22. apparet; acceptumque demittit sanguinem in

Sinum Dextrum Lateralem 32. 21. 27. 16. foramine bacillo 25. 16. indicato.

Sinus Sinister 25. 12. conspicitur, qui per aperturam, sanguinem Dextro Sinui suppeditat, hic aciculo 27. 14. notatam.

Duræ Matris partes ad Sinum Quartum abscissæ 30. 22. & 21. 19. remotæ a sua sede, instratæ enim cerebello sustentant cerebrum incumbens.

Venæ vel Sinus alii 16. 21. 32. 24. similesque percipi debent eodem modo positi ad 17. 17. 30. 19.

Cranium 27. 7. Dura Matre avulsa apparet, quæ

Dura Mater ad 28. 9. conspicitur, &

Cavitates Cranii eâ tectæ videntur 20. 12. 27. 22. 24. 30.

Foramen in Duræ Matris Processu fornice factum, ut Sinus

Dexter ibi appareat 26. 12. 30. 12. 28. 17. 26. 14.

Nervi Optici 23. 27. 25½. 27½.

Carotis Arteriæ Rami 22½. 26½. 26½. 27.

Nervi Oculorum Motorii 22½. 25. 26. 25½.

## FIGURA SECUNDA.

**H**Æc repræsentat Figura Inferiorem dimidiam Cranii Partem, eique supertextam Duram Matrem; sub qua Nervi prope originem hic abscissi, cranio egrediuntur. Multi primo intuitu putabunt, non operæ pretium fuisse, talem simplicis structuræ partem delineari; sed plane priori oppositam acquirerent sententiam, si ex illa simplicitate elici possit, maximum, summi Numinis, erga nos beneficium. Considerent, quæso, quibusnam partibus, hæc Interior Cranii Pars destituta sit; Pinguedo, Musculi & Glandulæ in promptu erunt; quæ sane partes sunt, cujus magnitudo variis variat temporibus. Pinguedinem enim augeri, minui, experientia patet; Glandulam, nunc intumescere, nunc subsidere scimus; & sic tandem etiam Musculus, omni actione, diversam acquirit molem; itaque, nullo tempore, pressio æqualis in cerebro fuisset, quæ maxime necessaria, ad functiones rite peragendas, requiritur: cerebro enim pressio, ut experimenta docuere, pereunt sensus; & quidem, prout locus variat pressus, eo Effectus pressionis varius est. Hic igitur requirebatur substantia omni tempore eadem, quæ tuto nervis egressum præberet, & defenderet a pressione incumbentis Cerebri, & asperitate Cranii; quæ optime absolvit Dura Mater: sic enim, Nervi Optici, sub Dura Matre tensa, supra Processum Sphænoidis Ossis, libere, sine ulla pressione exeunt; sic Nervi Oculi Motorii & reliqui omnes; uti uno intuitu, melius ex Figura patet, quam multis verbis describi potest.

## FIGURÆ II. EXPLICATIO.

**S**inus Frontalis diversæ Cavitates 20. 48. 25. 47. 30. 48.

Duo Sulci, quibus accumbunt Processus Cerebri Mammillares, largientes per Os Cribriforme Nervos Olfactorios 24½. 52. 25½. 51.

Nervi Optici abscissi 24. 60. 26. 60. liberè sub tensa Dura Meninge exeuntes & per eam pelluentes 23. 59. & 27. 59. ut etiam

Arteriæ Carotides 22. 60. 28. 59.

Nervi Oculorum Motorii 23. 62. & 27. 61½. etiam sub tensa Dura Matre tuto exeuntes.

Locus, ubi Nervi Pathetici sub Dura Matre reconditi sunt,

hic non expressi. 22. 64. 28. 64.

Nervorum Quintum Par 21½. 66. 29. 66. eadem Duræ Matris positione tuto egrediuntur, ut & reliqui.

Nervi Sexti Paris 23½. 67½. & 27½. 67½.

Nervi Septimi Paris 20. 69. & 31. 69.

Nervi Octavi Paris 21. 71. & 31. 71.

Nervorum Nonum Par 23. 72. & 28. 72.

Nervi Decimi Paris juxta Willisium 23. 73. & 28. 73.

Foramina duo in gratiam Arteriarum Vertebraliū 23. 74½. 28. 74½.

Foramen Cranii magnum 25. 76.

## FIGURA TERTIA.

**H**Æc Figura inferiorem Cranii partem demonstrat, cerebro exempto, ut & in sinistra parte, Os Orbitam Oculi superne constituens, & sustentans molem incumbentis cerebri, effractum;

E

ut

ut appareat, quomodo, summa cum cura, & providentia, in ista orbita, tuto recondita, Organum mirabilia Visus, lateant.

Sciunt omnes hoc, per quod anima videt, Organum Dioptricum, five Oculorum Globulos, singulatim possidere sex Musculos, quibus omne versus objectum vertuntur; quæ infinita, omni momento, occurrentia, faciunt, ut oculi, nunquam fere quieti, nunc in hanc, nunc in oppositam regionem, moveantur. Hinc est, quod hi Musculi, quorum quatuor Recti, duo Obliqui vocantur, circumquaque pinguedine suffuli locentur; & præterea ne sphaericam Oculi Bulbi figuram, durum circumjacens corpus mutaret.

Unus ex Musculis Obliquis, Trochlearis vocatur: quia mirabili mechanismo, imitatur trochleæ actionem, i. e. potentiae directionem mutat. Oritur hic Musculus, ut omnes dicunt, ex ima orbitæ parte, quod nobis videre in hoc tenello corpusculo non contigit: Finis enim Musculi aliquo spatio ab ista orbitæ parte distabat, si aliter fibræ tenuissimæ (non vidi enim) juxta Nervum non irrepsere visum fugientes.

Agit hic Musculus circumrotando Bulbum Oculi versus nasum, & simul extrorsum ducendo, Pupillam vertit deorsum, uti lusi vident, & alii in objecta propinqua, naso v. g. imposita. Si alter Obliquus simul agit, ducunt Oculum antrorsum, extrorsum, ut in irato, & ira accenso homine protuberant: sic Pictores imitantur *Herculem*, erga *Nessim*, furibundum; sed plane contra, pacato animo, sedulo cogitantem *Platonem*. In metu etiam sunt Oculi protuberantes, quo omni argumento major splendet divina Sapientia: pulcherrime enim observavit *de la Hire*, quod Obliqui retinent Oculum in æquilibrio suspensum, ut in omne punctum mobilissimus esset; hinc primo extuberantes plures radios accipiunt, i. e. plus vident, metu correpti homines & irati, dum interim mobilissimi sunt Oculi, & undequaque observare possunt, quæ obsunt. Hinc est, quod Deus huic Musculo, qui tanti momenti munere fungitur, largitus est, unum Nervorum Par, quod hunc in finem nulli alteri parti ramum dat; nec Musculus ab alio nervo ramum accipit; quod aliter facile a Tertio vel Quinto Pari commode fuisset; sed inde facile confusio oriretur, dum sæpe ab actione hujus Musculi securitas vitæ pendet.

Porro in hac Figura indicatur Ramus Nervi Quinti Paris, a *Williso* Ophthalmicus vocatus, qui in duos Ramos divisus ad anteriora Oculi pergit, glandulas, Palpebras, Scleroticam, Choroiden, Uveamque petit, ut & Musculos Ciliares, quibus ultra quadraginta ramulos porrectos observavit *Dexterrimus Rau*, meus Præceptor, dum viveret, laudatissimus.

Tandem Tertium Par videtur, quod ortum, paululum pergit, tunc delitescit pinguedine se subducendo, sed hujus iter in sequenti *IV. Figura* patebit.

### FIGURÆ III. EXPLICATIO.

**S**uperior Pars Orbitæ effracta, facit, ut in conspectum prodeant ejus pars relicta 7. 35. & Nervi Quinti Paris Ramus 7. 42. qui supra pinguedinem pergens, ad 7. 36. bipartitus, in anteriora Oculi Ramos dispergit. Pinguedo, qua tota Orbita cæterum impletur, ut & Vasa

Sanguifera per eam decurrentia 6. 40. Nervus Quarti Paris 8. 41. qui totus impenditur Musculo Oculi Trochleari 9. 39. Nervus Tertii Paris 8. 44. qui pro parte modo conspicuus sub pinguedine se subducit.


### FIGURA QUARTA.

**N**ervus Tertii Paris in conspectum prodit, qui Oculi Motorius dicitur. Oritur hic ex medullæ oblongatæ basi, pone Infundibulum, inde antrorsum tendens juxta Clinoiden Processum, calvaria egreditur; & per inordinatam fissuram, Orbitam intrat, ubi statim in Ramulos dispergitur, hic quatuor apparentes, pinguedine, qua undiquaque sepulti erant, ablata. Primus horum Ramulorum longissimus, partim Palpebræ superioris fibris prospicit; secundus intrat Musculum Obliquum inferiorem; Tertius, qui in duos vel tres alios dirimitur, ad Rectum inferiorem vadit; & Quartus petit alterum ex Rectis Musculum.

### FIGURÆ IV. EXPLICATIO.

**I**nferior Cranii pars hic conspicitur, osse Orbitam superne constitutante ablato & pinguedine exempta, ita ut clare appareat Nervus Tertii Paris 38. 43. cujus Ramus Primus & longissimus 39. 38. Palpebram 37. 34. & partim anteriora petens. Ramus alter pergens evanescit in Musculum Obliquum infe-

riorem; apparet 36. 38. Musculus vero hic non conspicuus. Ramus Tertius 38. 39. se Musculo Recto 38. 36. inserit. Ramus Quartus 37. 39. Rectum inferiorem Musculum 37. 38. petit. Oculi Bulbus e situ remotus representatur 36. 35. ita ut Nervus Opticus ad latus deductus, & abscissus jaceat, quo etiam subjacentia melius videri possint.



Unable to display this page

## TABULA TERTIA.

## FIGURA PRIMA.

**D**emonstrabit hæc Figura Faucium Musculos. Nominis derivationi non inhærebimus: an Fauces Latine dicantur a fundendis vocibus? vel a Græca dictione φαῦς, pro φάω, quod est loquor? vel a verbo φαύσκω, vel a φάγω, deglutio? dicamus modo, quid per Fauces, vel Pharyngem, intelligamus: quod nempe sit superior pars Oesophagi, quæ a Cricoide Cartilagine, usque ad capitis imum, quasi infundibuli in similitudinem laxata assurgit, adeoque, velut ipse Oesophagus, obtinet tunc membranam internam, subiectasque isti glandulas, tum fibras carneas.

Sequimur hic accuratissimum *Valsalvam*, & Pharyngi tribuimus tria Orificia, unum nempe Maximum oris cavitate respondens; alterum Majus, viam nempe ad interna narium foramina aperiens; ultimum Minus, ubi Pharynx in Oesophagum abit. Quæ Orificia porro, cum modo debeant restringi, modo dilatari, idcirco Pharynx peculiaribus instruitur Musculis.

Quoad usum & situm satis bene, & Naturæ congruenter descripsit nobis Cicero Lib. II. de Nat. Deorum: Stomachum, inquit, agitatione & motibus linguæ, cum depulsum, & quasi detrusum cibum accepit, depellere; ipsius autem partes eas, quæ sunt infra id, quod devoratur, dilatari, quæ autem supra, contrahi; ante hæc ille scripserat: linguam ad radices ejus hærens, excipit Stomachus, quo primum illabuntur ea, quæ accepta sunt. Oris utraque ex parte tonsillas attingens, palato extremo atque intimo terminatur.

In designandis verò huic operi Organis omnes fere Anatomici dissentiunt: *Eustachius* enim non multum de his habet; & *Vesalius* fere nil, nisi definitionem; *Falloppius* vero, si *Galenum* & *Oribasium* excipias, primo dedit nobis descriptionem, & tria Musculorum Fauibus Paria attribuit: quorum Primum & Secundum inter Musculos Gargareonis memorabimus; Tertium vero sic descripsit *Falloppius*: Ortum ab ea parte, qua basis capitis cervici jungitur, tenuè admodum totam faucium posteriorem, ac lateralem cavitationem vestit, & descendens inseritur in Hyoidis latera, & in primam cartilagineam Laryngis, & aliquando in radicem linguæ, obscure tamen. Munus istius est Fauces angustare, atque (ut opinor) ossæ devolutioni vel degluttoni inservire. Si quis etiam velit, (pergit Auctor) poterit per me Quartum linguæ Par his adungere. Hoc alio loco oriri dicit ab interna facie calcaris, gracile admodum, atque ad anteriora declinans in membraneum veluti definit tendinem, qui primæ Laryngis cartilaginis ac Hyoidis lateribus, nec non extremæ Linguæ, inferitur.

*Riolanus*, quem multi secuti sunt, septem Pharyngis Musculos describit, & Gargareonis quatuor; alii aliter rursus; sic *Cowperus*, cujus Oesophagum nobis videtur Tertium Par *Falloppii*, quem accuratius investigavit Clariss. *Valsalva*, & in aliquot alios divisit; certum tamen terminum non posuit, dum dicit: Fieri posse, sentio, ut aliquibus in hac divisione liberalior videatur; aliquibus verò fortè & parcior: quorum neutris pertinaciter repugnabo; verum ut pro arbitrio, horum Musculorum numerum minuant, aut si placet augeant, ultro concedam.

Hoc fecit Accuratissimus & Doctissimus Dominus *Douglas*, qui sciens superiorem Oesophagi partem modo uno Pare Musculorum constare, in utroque latere, quas Pharyngæos vocat; quorum fibræ diversis directionibus, a diversis & distinctis originibus, sibi invicem occurrentes in dorso glandulosæ faucium membranæ terminantur, ad imitationem tamen Clarissimi *Valsalvæ* singulos descripsit, & ab origine nomen dedit. Hoc ultimum sequimur: visum est enim, quod omnes hi Musculi, vel fibræ, ita destinæ fuerunt a se invicem, ut nemo, nisi veritati & sibi ipse obloqui vellet, rationem habeat, has pro uno describere; nisi cum aliis omnes Abdominis Musculos & Dorales pro uno etiam habere vult, tuncque eodem jure omnes, quotquot sunt corporis Musculi, unus dici possent.

In hunc finem igitur proposuimus in hac TABULÆ III. Figura I. Caput humanum a cervice solutum, & faciei ita incumbens, ut per magnum Calvariæ foramen 24. 19. Cerebelli 24. 22. & Medullæ oblongatæ 24. 25. pars conspici possit; ceterum Pharynx a vertebra dissociata cum annexa Larynge & Lingua 23. 50. ut & Oesophagus 24. 67. & Trachea 26. 67. pendentes, simul sese visui offerunt. Hic notamus, quod Oesophagus non subjacet Asperæ Arteriæ, ut plerumque describitur, & quod *Eustachius* non exhibet in suis Tabulis, & in quo *Vesalius* erravit.

Hic vidimus, dum Trachea recte descendit, gulam sensim versus latus sinistrum vergere ita, ut tandem plane fere deferat Asperam Arteriam; interim miror, quod Vir Clarissimus *Morgagni* in sua *TABULA I. Adversarii I.* Oesophagum in latus dextrum Asperæ Arteriæ depinxit. Porro hic notamus duos Occipitalis Ossis Processus 20. 23. 27. 25. quibus caput primæ colli vertebræ inarticulatur, & Soporales abscissas Arterias 17. 24. 29. 26. nec non Maxillam inferiorem, cujus Condylodis Processus 13. 28. & ejus collum 12. 32. cum 12. 41. angulum ejus designat, & 15. 37. partim Coronoidem Processum; ulterius notamus, Musculum Styloglossum 32. 37. ortum a Styloide Processu, & oblique antrorsum descendentem radici Linguae insertum, in deglutitione introrsum sursum ducere linguam, in sinistro latere esse abscissum 9. 29. Lingua 23. 50. Pterygoideus Externus 34. 30. Pterygoideus Internus, 34. 37. quos pulchre exhibet *Eustachius*; Hamulus quo paululum ad latus ducitur Styloglossus Musculus occurrit ad 45. 45. Primus porro Musculus, qui occurrit, vocatur

Cephalo-pharyngæus 24. 29. hunc Celeberr. *Valsalva* Pharyngo-staphylinum, vel Staphylino-pharyngæum, vocat: namque inter Uvulæ & Pharyngis Musculos recenset, & dicit perperam tradi hunc ab imo capitis oriri. Verum nobis apparuit ortum ducere a parva, qua Occipitis Os, Ossis Sphænoidi jungitur, eminentia; hincque gracilescentibus decurrere fibris, donec in medio sub foramine Occipitalis Ossis magno, in Lineam Tendinosam (quam abesse & adesse Celeberrimus *Morgagni* observavit) definire conspiciatur.

Si igitur horum unus agit, Pharyngem oblique retrorsum ad suum latus trahit; si vero ambo, simili modo dilatant totam Pharyngem.

Salpingo-pharyngæus 29. 30. male Spheno-pharyngæus dicitur Musculus, ab ortu non rite intellecto: nam melius, dum oritur ab extremitate posteriori tubæ *Eustachianæ* Ossæ partis, & sensim in Pharyngem evanescens confusus quodammodo, Musculo Pterygo-pharyngæo, nomine Salpingo-pharyngæus audit.

Quando trahit unus, tum partem Pharyngis, suo lateri oppositam, versus illud latus sursum retrorsum ducit; si ambo simul, sursum & ad latus trahendo dilatant.

Pterygo-pharyngæus 27. 32. a Processu Pterygoideo oritur, carnosus & fibroso Principio, hinc sese latius explicans, & posteriora petens, evanescit tendinescendo in dictam intermediam tendinosam Pharyngis lineam.

Opposito motu, quam Salpingo-pharyngæus, agit, unus deorsum antrorsum ad latus ducit, ambo vero dilatant, & deorsum explicant.

Mylo-pharyngæus 28. 35. a Maxilla inferiori, larga origine assurgit juxta molares dentes, & eodem fere itinere, ac præcedens, visum fugit in dicta linea.

Si unus agit, ad suum latus trahit; ambo maxime dilatant.

Glosso-pharyngæus 27. 37. a laterali & superiori linguae parte proveniens satis largo principio, sensim imminuto ad insertionem usque, refert triangulum, angulo suo acuto evanescentem in linea alba, seu tendinea, dicta.

Unus si agit, suo lateri Pharyngis vicinam partem, & latus linguae constringit, atque unit; ambo vero totam constringunt, & cum aliis simul Orificia, ad os tendentia & nares, Pharyngis occludunt: faciuntque, ut explicata basis linguae fortiter adducatur versus Pharyngis aperturam.

Stylo-pharyngæus 29. 39. & 19. 37. satis nomine cognitus, descendit a Styloformi Processu, & interfecat, uti notat Clariss. *Valsalva*, Hyopharyngæi fibras, quod etiam observavimus, ita tamen, ut Mylo-pharyngæo & Glosso-pharyngæo quam maxime inferatur, & fere penitus in istos evanescere videatur. Aliam egregius *Fallopius* hujus Musculi Insertionem descripsit: in osse nimirum Hyoide & superna Thyroidis ora, quam restituere se posse Celeberrimus & Accuratissimus *Morgagni* scripsit, quod nobis non ita apparuit; interim optime maximus ille Anatomicus, correxit *Cowperi* errorem, qui dicit in mediam & posteriorem Pharyngis partem utrinque ita convenire, ut dexter cum socio suo vel sinistro jungatur.

Si horum unus agit, sursum ad suum latus ducit & elevat; si ambo, simili modo dilatant, & elevat ita, ut brevioris & latioris Pharyngem cavitati oris e directo oppositam efficiant.

Chondro-pharyngæus 26. 42. Hic Musculus ab appendicula cartilaginea ossis Hyoidis incipit oriri, & expansus in trianguli formam adscendit, & ad mediam lineam properans, ubi partim obtegatur Thyro-pharyngæo Musculo, hincque rursus angulo acuto pergit juxta dictam mediam lineam usque ad implantationem Pterygo-pharyngæi, ubi tendinescens evanescit.

Hi Musculi deorsum oblique constringunt Pharyngem ; si unus agit , idem in suo latere efficit.

Hyo-pharyngæus 28. 45. Hic etiam Hyo-cerato-pharyngæus vocari potest : oritur enim a cornu vel processu ossis Hyoidis. Sic bene Clariss. *Valsalva* descripsit , duplici origine hunc oriri , una cum Appendicibus cartilagineis , lateraliter ad basin ossis Hyoidis degentibus , altera Processibus ejusdem cornutis , hinc adscendit , & inter Glosso-pharyngæum & Chondro-pharyngæum , decurrit & se illis subducit , donec in linea jam toties memorata terminatur. Clariss. *Morgagni* observavit hunc & sequentem superare lineam dictam & per oppositum latus adscendendo porro pergere.

Hic Musculus simili ratione , ac Chondro-pharyngæus , agit : deorsum scilicet oblique constringendo , magis tamen ad latus suum trahit.

Thyreo-pharyngæus 25. 50. Optime hunc describit Clariss. *Valsalva* : eum ab utroque antico latere Thyroidis , per totam hujus altitudinem , duas acutas productiones formando , recedere , ( licet quoad aliquot fibras , etiam ab anteriori laterali parte Cricoidis acuta itidem productione inferiori proveniat ) & suis fibris oblique adscendendo in partem posteriorem Pharyngis in tendinosam lineam se dimittere. Pars hujus Musculi 32. 53. resecta & elevata est , ita , ut nunc Cartilago Scutiformis 30. 53. conspici queat. Alii aliter describere hunc ; *Casserus* duplicem notavit.

Simili ratione agit , ac Chondro-pharyngæus ; sed præterea videtur dirigendo Cartilaginem Scutiformem , aliquid ad vocem facere , & tonum acutum producere.

Crico-pharyngæus 24. 56. Diverfus a priori est hic Musculus , a cartilagine Cricoide ortus , & ad finem Pharyngis decurrens oblique sursum retrorsum , quasi Sphincterem refert , & in eadem linea , hic vix visibili , ac priores evanescit.

Si hic Musculus pro Sphinctere haberi potest , satis mirabilis apparet ejus actio. Constringit enim & claudit Pharyngem oblique deorsum ; quia oblique sursum ejus fibræ decurrunt : hinc successive premit constringendo deorsum cibos.

Syndesmo-pharyngæus 27. 47. Ab ortu & fine ( unde etiam præcedentes suum nomen habent ) commodissime hunc Accuratissimus *Douglas* ita vocavit : a ligamento enim , quod necit cornu Ossis Hyoidis Processui Cartilaginis Scutiformis , capit originem ; hinc adscendit , & sub Chondro-pharyngæo & Thyreo-pharyngæo prorepit ad suum finem , in linea alba , tendinea.

Hujus Musculi actio est perfecte uti Chondro-pharyngæi.

Vidistis nunc omnes Pharyngis Musculos , & singulorum usum ; oportet , ut videatis , quid simul agant. Hi omnes deglutioni inserviunt præcipue , ad quam duæ requiruntur actiones , una nempe dilatandi , ut cibaria accipiantur ; altera constringendi , ut accepta protrudantur ; quod ultimum fit ab omnibus Musculis , qui a Larynge , Osse Hyoidi & Lingua ortum ducunt ; primum vero efficitur ab illis , qui originem debent aliis partibus præter dictas.

Manfi , subacti , permisti , attenuati , humidi , lubricati ( quas actiones tam elegans explicat Vir Incomparabilis & Præceptor meus nunquam satis laudandus in suis *Institutionibus* ) cibi protruduntur versus fauces hiantes ; dum enim Cephalo-pharyngæi a posteriori dilatant ; Salpingo-pharyngæi ad latera versus posteriora , Pterygo-pharyngæi ad latera versus anteriora & Mylo-pharyngæi ad latus suum ducunt ; tum potissimum Stylo-pharyngæus ad latera sursum trahit : sicque simul latiore & brevior reddunt Pharyngem , & cavitatem cavitati oris e directo oppositam constituunt ad deglutienda accipienda ; tunc constringendo in ea agunt Glosso-pharyngæi , Chondro-pharyngæi , Hyo-pharyngæi , Syndesmo-pharyngæi , Thyreo-pharyngæi , successive , & tandem Crico-pharyngæi , obliqui Sphincteris munere fungentes ; & aliis hic non descriptis conspirantibus , cibaria in Oesophagum traduntur : tunc omnibus se restituentibus , est deglutitio perfecta.

Cognitio horum Musculorum maxime Medico necessaria patet : quis enim actionem læsam rite cognoscere potest ? si non perspecta habet omnia ad eam perficienda requisita. Sed & Chirurgus incognita minime debebant esse : uti exemplo Clariss. *Valsalvæ* patet ; erat enim mulier , quæ se divexari a bolo in faucibus hærente putabat , quem ut inde deturbaret , varia manuum , & medicamentorum auxilia tentaverat incassum ; & jam triduo elapso nil assumere potuit , tuncque opem quæsit a Celebrerrimo Viro , qui , perpensis omnibus , suspicabatur ex Anatomica cognitione in aliqua ex appendicibus cartilagineis Ossis Hyoidis luxationem : itaque digitis con-

treclavit, & illico, una vel altera contredatione, redegit in pristinam sanitatem mulierem; erat hoc a Musculo Hyo-pharyngæo. Alias observationes adferunt alii, ut & *Cowperus*, ex quibus utilitas hujus cognitionis patet.

## FIGURA SECUNDA.

**I**Nter Musculos Faucium, uti jam annotavimus, descripsit *Falloppius* duo Paria Musculorum, quæ proprie Gargareoni spectant; *Riolanus* haud ita bene eosdem descripsit, & primo a Faucium Musculis distinxit, sub titulo Gargareonis Musculi; nomen cuique tribuens; Pterystaphylinus externus & internus scilicet: quod tamen rei non satis congruit. Dextrimus *Cowperus* sub alio nomine, a Doctore *Croon* accepto, nobis exhibuit hos; Pterystaphylinus internus, illi Sphæno-palatinus; externus vero Pterygo-palatinus vel Sphæno-ptyerygo-palatinus vocatur. Hunc igitur non ita ad Uvulam pertinere, uti observavit Clariss. *Morgagni*; cui non multum obloqui possumus; nobis tamen ita visum est, uti Figura exhibet; si nunc ad Uvulam vel Palatum, recenseri quis vellet; potest quisque pro lubitu. Accuratissimus *Valsalva* tria Gargareonis recenset Paria, quorum Primum Salpingo-staphylinum vocat, quo indicat Pterystaphylinum internum; quale nomen utpote consentaneum veritati retinebimus; Secundum vero & Tertium par, Glosso-staphylinum (quod veteribus cognitum sub nomine *Gassamach* jam fuit ex *Baubino* patet) & Pharyngo-staphylinum, in nostra Figura non exhibentur. Si nunc considerantur & hisce addantur tria Paria Accuratiss. *Douglas* descripta (qui in toto quatuor recenset Paria) & Azygos Musculus Clariss. *Morgagni*, habentur tredecim vel quindecim Gargareonis Musculi; quorum hic tres, vel quinque nostra Figura repræsentat.

Primus Musculus in nostra TABULA, Pterystaphylinus externus *Riolano*, Sphæno-ptyerygo-palatinus Doctori *Croon*, nobis vero Sphæno-staphylinus 16. 70. 15. 72. videtur vocandus, uti ex descriptione, quam non pudet describere, patet: Oritur (sunt verba *Falloppii*) nervoso, atque tenui principio ab apice quodam Cuneiformis ossis, qui ultra foramen illud parvum est, per quod arteriola per membranam dispergenda in calvariam ingreditur, quique apex articulum maxillæ cum osse Temporum quasi tangit. Ab hoc igitur principio ortum, & gracile admodum per cavitatem Pterygoidis internæ ejus alæ, vel alteri attentum descendit, ac desinens in tendinem nervæ tenuem quidem, sed latiusculum, transit per mirabilem quandam rimam, quæ in extrema dicti Pterygoidis alæ insculpta est, atque inseritur in cutaneam illam palati partem, a qua Gurgulio dependet. Huc usque *Falloppius*.

Munus hujus Musculi ex fibrarum decursu & directione per Trochleam seu circumflectione circa hamulum Pterygoidis Processus videtur pertinere ad Uvulam; Columellam enim tali directione ad anteriora & latera trahere patet. Hic Musculus a *Valsalva* non descriptus, quantum scio, interim jam *Eustachio* innotuerat: in TABULA enim XXXXI. Figura XIII. habetur ad 70. 40. quod præterviserat Nobilis *Lanciscus*; ejus ortum male designasset *Eustachius*; si vera esset *Lancisci* interpretatio, de foramine Tubæ *Eustachianæ*, quam erroneam plane invenimus; nimirum 72. 39. & 74. 46. indicat duo foramina, quæ aditum Tubis *Eustachianis* præberent, ab internis auribus, usque ad radicem palati; dum revera sunt foramina in osse Temporum, per quæ transeunt ad interiora Arteriæ Carotides, nam paulo superius est apex Cuneiformis ossis, cujus meminit *Falloppius* loco citato: foramen parvum est, per quod arteriola per membranam dispergenda in calvariam ingreditur; ad latus sinus Ossis Petroli, itaque in linea recta a Styloformi Processu ad Pterygoidem producta, continetur; & ab hoc oritur ille Musculus, vide *Eustachii* TABULAM ad 70. 40. & 68. 41. Percipere non possum, qui tantus Vir in hunc errorem labi potuerit, præcipue dum ipse *Eustachius* disertissimis verbis hoc descripsit, in *Tractatu de Organo Auditus*, pag. 139 in editione, quam erudito orbi dedit Clarissimus *Hermannus Boerhaave*.

Secundum Par 13. 72. nobis etiam primo descripsit *Falloppius*, verum haud ita feliciter: hæc sunt verba: Secundum Par nervoso itidem principio ab eadem propinqua parte, unde primum oritur, atque deorsum declinans ad faucium latera in partes, quæ Amygdalas vocatas continent, inseritur, & quasi totam partem faucium lateralem, ac posteriorem amplectitur. Satis bene descripsit sic egregius Auctor; dum vero ignorabat Tubam *Eustachianam*, aliter non potuit; nec melius, nam ab inferiori ossea parte istius tubæ, hinc sub parte membranacea inferiori tubæ oblique ad Uvulæ basin descendit & inseritur: explicat igitur ad latera & ad posteriora trahit Columellam; sicque impedit, ne cibaria regurgitarent in narium foramina in deglutitione. Hunc vocavit optime *Valsalva* Sal-

Salpingo-staphylinum : est idem ac Pterystaphylinus internus *Riolani* , & Sphæno-palatinus *Cowperi*. Quod ipse *Riolanus* inquisivit , & non ex *Fallopio* descripsit , patet ex descriptione ejus , dum dicit hunc Musculum habere cartilagineam peculiarem , & mobilem , ejus origini dicatam ; & sic vidit Tubam *Eustachii* , incognitam tamen *Riolano* ; simili modo etiam descripsit *Baubin*.

Præterea notamus in hac Figura Gargulionem separatam , cujus anterior pars 11. 76. juxta palatum 9. 77. dependens , posterior 10. 70. vero concipi debet quasi filo suspensa teneretur ; in hujus medio decurrunt fibræ carnosæ Musculum 11. 70. constituentes , quem sine pari voco ; sed an idem est , de quo *Clariss. Morgagni* mentionem fecit , ignoro , dum ejus descriptionem videre mihi nondum licuit.

Tandem ut clariorem habeamus Ideam hujus Figuræ , dicendum est , quod situs est ac in *Fig. I.* nisi quod hic Larynx , Pharynx , Lingua , &c. ablatae sunt ; ita ut area , quam constituit hic Maxilla inferior 15. 80. impleatur palato 9. 77. Pterygoideus Musculus internus 17. 75. conspuitur ; ut & externus 17. 71. Ulterius Styloformis Procellus 10. 70. Mammillaris 18. 67. Carotis Arteria 16. 68. notanda veniunt.



## TABULA QUARTA.

**N**obilis illa, & princeps in corpore pars, animæ irascibilis, ut veteres dicebant, ergastulum, a quo tota liberi hominis pendet vita, & cum quo simul periclitatur, Cor scilicet, hic in situ naturali oculis subicitur; quem in diverso homine diversum & aliquando contrarium illi sciunt, quibus ludentis Naturæ potentia æque in hac, quam in ulla alia corporis parte, innotuit per observationes: quibus constitit, Cor consuetæ contrariam obtinuisse posituram in Regina, Matre Regis Ludovici XIII. *Maria Medicæ*, aliisque. Sed non obstantibus illis, quæ raro contingunt, pro naturali accipiemus positionem, quæ plerumque in cadaveribus invenitur: attamen diversa ab Auctoribus a se invicem differentibus indicata. Sic *Galenus*, contra veterum placita, Cor in medio thoracis positum contendebat; *Vesalius* Galenum reprehendens, alium obtinere locum posuit, & simul cum *Eustachio* ita delineavit, ut nulla hætenus edita Tabula iis comparari posset. Postea vero unus alium imitando, neglecto veri studio, sæpe dedere icones, non ad cadaver depictas, sed ex corporibus Brutorum quadrupedum, vel & quæ ipsi non rite inquisiverant, & fabricam ipsis non satis perspectam ex aliis describere; sic *Riolanum*, miserum Cor suspendentem a Mediastino & Pericardio, omnes fere Auctores in hanc falsam secuti sunt sententiam; donec tandem recentissimi Anatomici statum cordis commiserati solvere funem, quo partim pendulum fingeatur, Mediastinum scilicet; quo destituto Cordi substituerunt pulvinar molle, Diaphragma nempe, cui nunc, ad suum opus peragendum, libere incumbit, uti etiam nostra, delineata ad cadaver, Figura indicat. Vitavi quam maxime illud, quo damnum fieri posset incrementi arti, delineando illa, quæ propriis oculis non videram: quod tamen magnos in arte Viros fecisse patet ex Figura, quam de Corde primo dedit *Casserus*, & suis inserit *Spigelius*, perperam tamen rem exprimentem, quo non obstante rursus *Thomas Bartholinus* in suo Opere usus fuit eadem.

Exhibeo hic Cor in situ proprio, (resecto Sterno, & separato ab annexa Pleura & Pericardio, quæ partes post mortem subsidentes, falsum pro parte, demonstrant Mediastinum) incumbens Diaphragmati, quod in dextro latere non semel observavi, paulo magis Pectus intrusum quam in opposito sinistro latere, ad summam nempe quintæ a superiori numerando costæ partem, ita, ut Pectus præcipue antèrè tantam non obtineat, quam multi sibi falsa imagine repræsentant, capacitatem, quâ incognitâ turpiter & Medicus & Chirurgus structurâ decipi posset.

Auricula dextra partim, & parva sinistra pars hic conspiciendæ sunt. Ad Auriculam sinistram notamus magna egredientia vasa, Aortam scilicet & Pulmonalem Arteriam, quæ ad lævam oblique tendens, se subducit; altera Aorta nempe, exurgens paulo post dividitur in tres Ramos; quorum Sinister maximus, nomen retinet, & oblique sinistrorsum pergendo arcuato flexu (uti *Azyga* in dextro latere facit) posteriora petit; verum circiter in altitudine summa emittit Ramum, quæ Subclavia Arteria dicta, largiens illico unum superioribus costis Ramulum, & altero, qui mox in aliquot alios dividitur, Mammis prospicit, inde Mammaria Arteria dicta; ulterius pergendo brachium ejusque partes petit. Secundus Ramus divisionis Aortæ, sive medius, recte fere exurgit & vocatur Carotis Arteria Sinistra, vel Soporalis, sub hac & supra Aortam jam jam curvam notamus Nervum *Willisii* Recurrentem dictum. Tertius Ramus dicitur Truncus Innominatus, donec bipartitur; tuncque interior, est Carotis dextra, exterior vero Subclavia ejusdem lateris; supra has decurrit Nervus recurrens dexter; quem inter, & Musculum Mastoideum Mammariæ, & superiorum costarum Arteria apparent, uti in sinistro latere indicavi. Juxta hunc Musculum pro parte videri potest Nervorum Cervicalium coalitus, Brachiales constituentium; ut & etiam Clavicula sua sede remota.

Anguli in medio (cujus latera ad dextrum pro parte Truncus Innominatus & Carotis, a sinistris sola Carotis constituunt) aream opplet Aspera Arteria; cui partim incumbit Glandula Thyroidea, connexa Scutiformi Cartilagini, cujus dextro accumbunt, duæ Glandulæ, quæ an semper adsint, adhuc ignoro. Thyroidea Glandula, hic perfecte corculum referebat; in alio cadavere, aliam observavi Figuram, semilunarem scilicet, & Glandulam in binas fere divisam, si pauculum substantiæ, qua partes ad se invicem hærebant, demes.

Aliquid discriminis invenimus in exortu Carotidum Arteriarum, (qui rarò apud Auctores bene in





Tab. 4.

A. Cant. delinavit.

invenitur) nimirum in senili cadavere aliter se habere, quam in infante; sicque Anatomici non de hac re ita culpandi sunt; in senili enim cadavere, observavimus angulum, sub Aspera Arteria, obtusiozem, & Truncum Innominatum, non tam longum; ita, ut videatur etiam dextra Soporalis, ex Aorta producta; si igitur *Vesalius* in sua de Arteriæ Magnæ Distributione TABULA, depinxit Systema Arteriosum, senili de corpore desumptum, fatis res procedit & minime accusandus Magnus ille Auctor.

In hac Figura notandum est ulterius, Pericardium in anteriori parte dissectum, & eversum; erat hoc in cadavere cordis substantiæ accretum per membranam, cellulofam referentem perfecte: historiam vero morbi, quo extinctus erat homo, ignoramus. Tandem conspicitur pulmo, cæteram cavitatem pectoris totam implens, qui circumambitur costis, & Musculis intercostalia occupantibus, qui duplices serie sunt, externi, ab omnibus descripti, & interni, prioribus exquisitè contrarii: nam suo fine, a vertebriis dorſi æque distant, ac exteriores a sternò, quod solus, (quantum scio), observavit *Eustachius*. Hisce perfunctus relinquam Cor, Diaphragmati (cui Pericardium triangulariter connascitur) incumbens quietum.

## TABULÆ IV. EXPLICATIO.

Cor in situ 35. 60.

Auriculæ dextræ pars 12. 55.

Auriculæ sinistræ portuicula parva 39. 48.

Arteria Magna vel Aorta 26. 46.

Arteria Pulmonalis 35. 46.

Aorta continuata Arteria ad 37. 31. ubi emittit

Subclaviam Arteriam sinistram 37. 19. quæ

Ramuscum 39. 19. largitur superioribus costis &

Mammariam Arteriam 39. 17. mox in aliquot ramulos divisam 41. 18.

Arteria Carotis sinistra, recto fere itinere ex Aorta assurgens 30. 35. sub qua

Nervum *Willisii* Recurrentem notamus 35. 25. ut & supra Aortam 37. 33.

Arteriosus Truncus Innominatus 24. 35. qui bipartitur in

Carotidem dextram 22. 30. & in

Subclaviam dextram Arteriam 20. 30.

Nervus Recurrens dexter indicatur 19. 26. quem inter &

Musculum Mastoideum 18. 25.

Mammariæ Arteriæ 18. 26. & 17. 27. apparent, ut & Arteria superiorum costarum 17. 19.

Nervorum Cervicalium coalitus partim videtur ad 12. 26. & simul

Clavicula dextra sua sede remota 3. 47.

Aspera Arteria 28. 35. cui

Glandula Thyroidea 27. 28. accumbens &

Cartilagini Scutiformi 26. 20. annectitur, & præterea

Glandulæ duæ aliæ 22. 26. & 24. 26.

Pericardii porto aperti & inversi interior superficies apparet 12. 55. 50. 50. 40. 73. quæ per Membranosam Cellulosam substantiam Cordi accreta apparet ad 50. 60.

Pulmo dexter conspicitur ad 17. 45. sinistra in regione 45. 40.

Musculi Intercostales 53. 35. 55. 45. 58. 53. 59. 62. &

Musculi Intercostales interni 51. 38. 54. 46. 55. 55. 58. 67.

Diaphragma 30. 75.



# IMPETUS PRIMI

## TABULA QUINTA.

### FIGURA PRIMA.

**Q**Uod Anatome optime in binas dividatur partes, quarum una injiciendo, & præparando, rimatur subtilissima, & Theoriæ Medicæ inservit; altera magna vasa, viscera, aliasque partes, investigando, Chirurgiæ utilis est, nemo negabit; sed quod a priori nullus Medico redundaturus sit fructus, si posteriorem ignorat, patet; in hanc tamen Veteres accuratius investigasse, quam recentiores, videntur. Commune hoc vitium est, quod illa, quæ sine labore acquiruntur, minime æstimantur; sæpe meliora calcantur pedibus, quam quæ ab ultimis *Indis* petita, magno emuntur pretio: quæ sponte occurrunt, quibusve quotidiana consuetudine adfuecimus, prætervidentur, quamvis non minori sæpe argumento Deum infinitæ sapientiæ demonstrant; hujus erit exemplum *Figura I. TABULÆ V.* offerens Ventriculum & quasdam Intestinorum partes.

Perquam accuratè tradidère ejus historiam Anatomici, quoad *Tunicas, vasa, Fibras &c.* interim nemo fuit, quin præterviderit, Situm recte notare. *Vesalius* omnium optime descripsit Ventriculi Situm, non tamen videtur considerasse variam dispositionem, prout magis opplebatur cibis.

Ventriculus, dum non penitus extenditur, sic se habet: Stomachus, qui unus continuatus cum Ventriculo & intestinis canalis est, penetrato Diaphragmate, explicatur vel continuatur in Ventriculum, qui in sinistro latere amplam sedem occupat, inter Lienem & Hepar, dum superius Diaphragma contingit; hinc oblongus figura fit in dextrum, ubi occultatur ab hepate ita, ut per totam Jecoris crassitiem a Diaphragmate distet; tandem angustior & elatior fit, & retroflectendo suum finem continuatur in Duodenum: orificia differunt situ, superius magis antrorsum positum est. Sic Ventriculus in *Figura XIV. & XV. Lib. V.* *Vesalii* apparet, & apud *Eustachium Figura I. & III. TABULÆ X.* Talem nunc situm in homine obtinet, dum nec flatu, nec cibis expansus est, tunc enim alium acquirit & sese in parte anteriori attollit ita, ut, quæ Ventriculi pars, eo depleto, fundus erat, nunc assurgens antrorsum, ejus anterior facies sit; de qua re aliquid scivisse *Eustachium*, ex consideratione *Fig. II. TABULÆ X.* patet; ibi enim plane videtur sursum elevatus antrorsum: & revera, talem obtinet situm Ventriculus, dum repletus est, uti *Fig. I. nostra TABULÆ V.* exhibet Ventriculum flatu distentum, & alium situm quam ante occupantem.

Ut *Figura hæc* intelligatur, præmonere debeo, concipias subiectum seu cadaver abdomini incumbens, ita, ut sinistra ejus manus ad tuum latus sinistrum posita sit, tumque dorsum inspicias; ita apparebit Tibi orificium superius, antea in anteriori & superiori parte Ventriculi; nunc vero in posteriori & laterali Ventriculi parte conspicuum, & Pylorus antea erectus sursum, & cum Duodeno Intestino angulum acutum faciens, nunc vero deorsum, & cum isto Duodeno, in lineam, fere rectam protractus, itaque ex tali dispositione apparet Ventriculum illico demittere fluida, quæ accepit, ita ut videatur Crater ille *Heronis in Lib. de Spiritalibus*, qui nunquam repletur, sed acceptum demittit. Sed alii huic contradicunt, dicentes, fibras Ventriculi tunc agere & eum constringere; sed sciant hi, velim, me hic considerare Ventriculum, ut vas determinatæ figuræ, situm prout accipit, motu locali, mutans; cui fibræ ejus utpote ab eodem corpore ortæ, & eidem insertæ, non multum facere possunt: aliter satis me docuit, actionem Ventriculi in ingesta, quadruplici modo considerare, *Vir Magnus*, & semper summa cum Veneratione nominandus *Præceptor, Celeberrimus Hermannus Boerhaave*: nempe primo ut vas, in quo pro tempore cibus quiescit; secundo ut vas, cujus contento aliquid miscetur; tertio ut vas, cui Musculi superapponuntur; & quarto tandem, ut vas molle, compressibile in certis circumstantiis positum. Quæ pulcherrima, hic tamen nostro scopo non inserviunt.

#### FIGURÆ I. EXPLICATIO.

**H**æc *Figura* demonstrat Ventriculum ab hominis posteriori parte delineatum, & flatu repletum, uti conspici potest ad 29. 10. & Partem Omenti Ventriculo connatam 27. 18. usque ad Orificium superius 25. 14. Quod quo plus oppletur Ven-

tricus, eo magis ad posteriora deorsum flectitur, ita ut Oesophagus hic sibi viam occludat & apparet quasi Ventriculi latere posteriori insertus esset, dum aliter observavi Oesophagum oblique Ventriculo inferi & quidem per transversorum trium aliquando digitorum spatium




Fig. 1.



Fig. 5. 6. 7. 8.

Fig. 2.



Fig. 9.



Fig. 10.



Fig. 3.




Fig. 4.

rium magis antèrius, quam orificium dextrum, hanc differentiam hic notare volo, quæ forte sola & sufficiens causa esset motus hujus Ventriculi.

Pylorus 37. 19. antea interim sursum erectus, nunc flexus deorsum prospicit, quasi cum Duodeno in linea recta protractus, hinc illico effundit illa, quæ comminutione non indigent.

Duodenum 27. 23. vocatur sic illa intestinorum pars a Pyloro 37. 19. ad 27. 23. ubi subrepat Mesocolo, & Jejunum incipit vocari ad 25. 30. ubi Ileum audit.

Mesocolon 19. 28.

Omentum 30. 22. quo hic Duodenum jungitur Ventriculo, simul cum

Mesenterio 29. 21. ligatum & abscissum patet.

Lamella pellucida 31. 20. Omenti intermedia, qua Ventriculo necitur Duodenum.

Lienis frustulum, in situ tale apparens 18. 19.

Colon intestinum 39. 24. & 17. 28. connexum Ileo per spatium inter 40. 21. & 34. 27. donec pervenit ad 43. 28. ubi sacculum efformat, complicationis sui lateris valvula interceptum, qui Cæcum vocatur; ulterius

Zygmoideus dicitur flexus ab 39. 24. ad 43. 28. cui adjacet Ren sinister.

Processus Vermiformis tandem notandus est 43. 35. Cæci intestini; cæterum pergit 48. 35. & Ileum dicitur.

## FIGURA SECUNDA ET TERTIA.

**H**Æ Figuræ nil novi subjiciunt oculis; demonstrant enim Cubiti Articulationem, Radii & Ulnæ nimirum cum Humero seu Brachii Osse; veteribus jam bene cognita, & singulatim elegantissimis Figuris depicta, uti ex *Vesalio* & *Eustachio* patet. Verum id (ni fallor) nostra Figura præstabit, ut uno intuitu veram hujus mirabilis mechanismi ideam detur contemplari. In hunc finem posuimus Brachium sinistrum in assere ita, ut vola manus asserculi superficiei contigua esset; tunc dissecta, paululum a se invicem sejunximus, ut magis conspicua essent. *Figura II.* exhibet Radium & Ulnam, & *Figura III.* ostendit Humerum seu Brachii Os. Monendum hic est, ne arte periti in vitium vertant, me *Figuram Secundam* in sinistra, *Tertiam* vero ad dextram adumbrasse: sed sciant, quod *Secundam* delineavi fere ad angulum 30. graduum, ut melius introspicerem, tuncque impossibile fore humerum depingere, ideoque inverso assere, cui impositum erat Brachium, Os Humeri adumbravi, eodem ac priora modo. Si nunc modo hæc ossa ad se invicem adducantur, fit articulatio, qua flectitur & extenditur manus cum Brachio inferiori, a motu Ulnæ; prona vero vel supina redditur manus ab osse Radio, motu supra capitulum Humeri Ossis, uti porro ex Figuræ Explicatione patebit, ne eadem bis repetamus.

## FIGURÆ II. &amp; III. EXPLICATIO.

*Figura II.* ostendit Radium 31. 41. & Ulnam 34. 41. In Radio notamus ejus Capitulum 37. 52. cui insculpitur Cavitates 36. 55. quam ingreditur a Capite Humeri *Figura III.* 40. 68.

In Ulnæ elatiori parte primo observandus anterior Sinus Humeri subiens Processus 31. 55. & posterior Ulnæ Processus 32. 62. patellam referens Sinumque Humeri in posteriori intrans.

Sinus Ulnæ Rotulam Humeri *Figura III.* 29. 65. 32. 66. 35. 65. excipiens, hic 28. 54. 33. 54. 29. 62. 35. 62. in medio elevatus; ubique lævis superficies cernitur,

quæ tamen remittitur circiter in medio a 35. 57. ad 28. 57. ubi asperior est.

Pinguedo 37. 60. 28. 60. circumquaque ad margines indicatur.

*Figura III.* Representat humerum os 35. 79. cujus Caput 40. 68. sola adductione applicaretur Sinui Radii *Figura II.* 36. 55. ejusque Rotulæ 29. 65. 32. 66. 35. 65. Responderet Sinui Ulnæ *Figura II.* 28. 54. 33. 54. 29. 62. 35. 62. & Sinus 37. 67. locaret marginem Capituli Radii, simulque in gratia Nervi manum petentis exculptus.

## FIGURA QUARTA.

**M**irabili & stupefaciente mechanismo Natura homini corpus conflat, & in minima & sæpe pro vili parte habita, sunt infinita recondita, quæ cognita summam sapientiam indicant. Pinguedinem, iners corpus, sic locavit, ut summo usui inserviat. Tota Genu Articulatio pinguedine reconditur, quæ lubricat, inungit, & mobiles retinet partes; aliter motu, calore &c. rigescentes; cui præterea accedit lubricus ex Glandulis Haversianis humor, vice smegmatis fungens, quo Artificiarii, Tornatores, alique, utuntur, ne motu nimio affricte partes flammam conciperent. Tali igitur instituto intra pinguedinem fit articulatio Tibiæ, cum Femoris Osse, quæ usus summos vivo homini præstat, & ut liberior, omnique in parte expeditior esset motus, hanc Natura partem annulis duobus instruxit, substantia singulari, maxime elastica in toto corpore, & lubrica, cartilagineis nempe lævigatis; in interapedine horum locavit ligamentum fortissimum, fibris ad decussim currentibus constans, quo Tibia Ossi Femoris annectitur. Anterius patellam apposuit pinguedine circumquaque sepultam, Articulationi huic, quæ polita & lubrica, non tantum motum adjuvat & antèrius defendit, sed pro Hypomochlio inservit, ut Tibia a suis

Musculis extendi possit, qui infinita vi trahendo nihil efficerent, nisi per patellam sinus insertio-  
nis (quo virtus definitur) augeretur. Patet sic mechanica Corporis structura, non tantum in  
hac, sed in omni alia parte Corporis: eodem enim munere funguntur ossa Sesamoidea ubique,  
& alia in Tendinibus Musculorum, hinc inde posita. Quid ulterius de hac Figura dicendum sit,  
Explicatio ejus absolvat.

## FIGURÆ IV. EXPLICATIO.

**T**ibiz inter & Femoris Os, abscissum pedem sinistram  
repræsentat, simulque patellam in sede quasi serva-  
tam, in qua Figura, primo notanda occurrunt  
Ossis Tibiz superficies lævi cartilagine obducta 30. 95.  
31. 102. cujus pars 31. 98. 32. 101. eminentior, pau-  
latim ad 29. 94. 31. 103. subsidet, & in 28. 96. Sinus  
quidam assimilatur. Margines exteriores 31. 90. 26. 94.  
37. 93. 28. 105. 33. 107. 36. 103. Ossis Ti-  
biz, unde oriuntur Cartilagine semilunares 33. 94.  
31. 105. hic circulum fere absolventes. Hæ descendunt  
paululum deorsum ab omni puncto circumferentiæ ad  
centrum, ita tamen, ut a posteriori magis elongentur,  
& sensim tenuescunt definant.  
Ligamentum fortissimum, in anteriori & in posteriori par-  
te, ubi hi annuli cartilaginei ad se invicem accedunt,

ortum, cujus fibræ decussatim decurrentes hic transversæ  
apparent abscissæ 30. 100. 35. 99.  
Tendinosa pars Musculi pedem flectentis 20. 97. &  
Arteria 19. 99. cui vena & nervus adjacent, se sponte in-  
trotracti, visui subducentes.  
Fibræ carnosæ Musculorum transversim abscissæ 19. 90.  
43. 99. 41. 104. 43. 107.  
Pinguedo in omni parte politissimæ superficiæ & æquabi-  
lissimæ 34. 99. 27. 107. 22. 97. 23. 101. 23. 107.  
14. 105. sed Membrana Adiposa sub cute turgentibus  
vesiculis constare videbatur lardi instar Porcini 13. 100.  
21. 94. 27. 88.  
Patella undiquaque obruta pinguedine apparet 19. 102. In  
medio notamus illam instar crucis formæ eminentem.

## FIGURA QUINTA, SEXTA, SEPTIMA, ET OCTAVA.

**H**is Figuris unum idemque a quatuor diversis & oppositis lateribus delineatum vobis offero  
Ossiculum illud Auditus, quod Malleus, a similitudine, vocatur. Hoc vel plane non, vel  
male, depictum deprehendi, dum interim se sua pulcherrima structura commendabat, ut rite  
delinearetur.

Primus, qui invenit ejus Processum longum & gracilem, fuit *Cecilus Folius*, cujus *Differ-  
tatio & Auris Internæ Delineatio Nova*, Venetiis 1645 edita est. *Thomas Bartholinus* post cum  
solus meminit inter Anatomicos hujus Processus, quem depingit. Postea rursus oblivioni quasi  
traditus, nemo de hoc locutus est; donec tandem Celeberrimus *Rau*, dexterimus Anat. &  
Chirurg. Præceptor, dum viveret, meus laudatissimus, resuscitavit illum, quem sæpe, dum  
ejus privatis interesset, cum oblectamento vidi.

Notanda in hoc Ossiculo veniunt, ejus Caput, Cervix, Manubrium & Apophyses duæ, qua-  
rum una longior causa delineationis fuit: huic Apophysi Musculus, qui Tendinosus oritur ab ex-  
terna parte Meatus Eustachiani, unde adscendens, & cavum Tympani intrans, se inserit fibra-  
rum latissima applicatione, hinc fere infinitis determinationibus ducit Mallei partem & Membra-  
nam Tympani versus Meatum Auditorium; quem usum primo invenit Clarissimus *Rau*. Simi-  
lis Processus videtur *Eustachio* innotuisse ex *TABULA VII.* in Scriptis vero nil meminit ejus,  
hinc dubitamus.

## FIGURÆ V. VI. VII. ET VIII. EXPLICATIO.

**N**otamus in *Figura VII.* quæ omnium maxime Ossicu-  
lum hoc in situ naturali demonstrat Caput 55½. 18½.  
Processus longus Gracilis 56½. 18.

Processus minor 57. 19.  
Manubrium 57. 20. indicantur.

## FIGURA NONA, ET DECIMA.

**S**ulla ex parte Anatomicorum negligentia apparet, certe erit in hac Ossis Palati descriptione;  
quam nemo Anatomicus adhuc rite dedit, nec Figura expressit. Solus *Bartholomæus*, in arte  
Princeps, *Eustachius*, in *TABULÆ suæ XXXVII. Figura 1. 2. 3. 4. 6. 7. & 8.* ostendit hoc  
Os, cum Osse Maxillari superiori, & Ossiculum spongiosum inferius, hisce applicatum; quod  
tamen, industria sua, nec studio, nec attenta Operum *Eustachii* lectione, neque cadaverum inspectione  
& comparatione in singulis Tabulis videtur consequi potuisse Lancisius interpres, dum in Explicatione  
dictæ Tabulæ leviter tantummodo attingit indicatas Figuras, & silentio præterit illa, quæ pri-  
maria

maria inter *Eustachii* inventa haud infimum locum obtinere debuissent : sed *Davus est*, non *Oedipus* *Lancisius*, uti *pag.* 28. ipse fatetur, ubi tamen ad extricandum illud ænigma minime talis requirebatur. Mirum est, quod res tam clara, latuit Anatomicos aliter perspicacissimos : quid enim magis omnium manu teritur, quam Cranium ejusque Ossa ; tamen prætervisa est illa structura, nobis pulcherrimam *Figuræ IX. & X.* præbens materiem.

*Nona* itaque *Figura* ostendit dimidiam sinistramque Ossis Maxillaris superioris, *Vesalio* quarti, partem, ab omni alio osse, & ipso Palati, quod sextum *Vesalii* est, & *Cowperi* septimum, liberatam. Descriptionem hujus Ossis non dabo : utpote ab aliis, re jam peracta : neque ejus antrum, *Higmore* dictum, sed veteribus, ut *Vesalio*, *Columbo*, & *Baubino* cognitum, describam. Animus tantum est indicare conjunctionem hujus Ossis cum Osse Palati vel septimi *Cowperi*, quæ res non invenitur apud ullum Anatomicorum, & tamen contemplationi intenta dignissima est : ex descriptione enim patebit, quod illud Palati Os, pro parte etiam Orbitam Oculi, constituit, & ex hoc cognito solo, multa ægris dira laborantibus lue Venerea, symptomata Oculis & visui accidentia intelligi possunt, aliter inexplicabilia, nisi vago ratiocinio ; consideres modo *Figuræ IX. & X.* Explicationem, & res clare apparebit.

## FIGURÆ IX. ET X. EXPLICATIO.

*Figura IX.* repræsentat dimidiatam sinistræ superioris Maxillæ partem, ab omni alio Osse liberatam, si excipias Molares duos 9. 59. 9. 61.

Antri *Higmore* Apertura videtur ad 11. 53. quæ hic maxima apparet, minuitur enim, si Os Palati *Figuræ X.* jungatur huic, & ab Ossiculo Spongioso inferiori.

Maxillaris ossis superior & posterior in ore pars desinens ad 13. 56. Cui tunc applicatur Os septimum *Cowperi*, posteriorem palati partem constituens, quod *Fig. X.* delineatur.

Pars Ossis, nasi & oris intermedium occupans, fungosi & spongiosi ad 19. 57.

Inæqualis & scabra superficies undeque punctis nigris determinata est Area, quam opplet Os *Fig. X.* Naturali conjunctione : patet hinc, quod minuit Orificium Antri vel Sinus ad 10½. 54. & porro quod partim constituit Oculi Orbitam, cujus posterior pars hic 9. 50. notatur.

Nervus quinti Paris illico dividitur in tres Ramos, quorum secundus Maxillæ superiori prospicit, exiens nimirum per quartum singulare foramen & veniens ad 6. 51. pergit per recedentes Lamellas Ossis quarti, sub orbita,

exitque antè per foramen eidem Ossis insculptum sub cavitate, qua Oculum reconditur ; sed ad posteriora Orbitæ 6. 51. exsculpitur Sinus ad 7. 53. & a 6½. 51. ad 9½. 56½. fit canalis concursu binorum Sinuum Ossis quarti & septimi, qui aperitur ad dentes molares, perque hunc decurrit præter Venam & Arteriam Nervus secundi Rami quinti Paris productus.

Pars effracta Ossis, ut melius in interiora sinus videri posset 6. 52.

*Figura X.* in hoc Palati Osse notamus

Angulum, qui intercluditur alis vesperilionum similibus,

Processibus scilicet internis & externis 51. 56. ad 52. 55.

Sinus, qui pro parte canalem facit Ramulo Nervi quinti Paris &c. exitus hic ad 53. 55½. apparet.

Concipias nunc hoc Os priori *Fig. IX.* applicari ita, ut oppleat aream in dicta *Figura IX.* punctis determinatam, & tunc 56. 54. applicatur 13. 56. in priori 57. 54. annectitur 10½. 54. ita ut angulus 10½. 54. in *Figura IX.* comprehendatur inter 57. 54. & 56. 55. *Fig. X.* tam arcè, ut sine læsione vix solvi posset, tandem 55. 48. applicatur 9. 50. *Fig. X.* & partim componit orbitam, ut quisquis nunc facile observare potest.



# IMPETUS PRIMI

## TABULA SEXTA.

**P**rimus eorum, quorum scripta ad manus nostras pervenerunt, Thoracici Ductus disertis verbis, sub alio nomine, meminit Accuratissimus *Bartholomaeus Eustachius*, qui floruit circa medium xvi. seculi, in *Italia*; evolve, si lubet, elaboratum, de *Vena sine Pari* Tractatum, Edit. Lugd. pag. 279. &c. in *Opusculis Anatomicis*; invenies hercle paucis & distinctis verbis, accuratissime descriptum, sed in Equo; uti solebat non tantum hominum, sed & aliorum animantium corpora studiose dissectare. Locus exstat ibi *Antigramm. XIII. in fine*, quem, quoniam notabilis, brevis, nervosus, huc adscribere non dubitavi. Ad hanc, inquit, *Naturæ providentiam quandam equorum venam pertinere credidi, quæ quum artificii & admirationis plena sit, nec delectatione ac fructu careat, quamvis minime sit ad Thoracem alendum instituta, operæ pretium est, ut exponatur. Itaque in illis animantibus ab hoc insigni trunco sinistro juguli, quæ posterior sedes radicis venæ internæ jugularis spectat, magna quædam propago germinat, quæ præterquam, quod in ejus origine ostiolum semicirculare habet, est etiam alba & aquei humoris plena, nec longe ab ortu in duas partes scinditur, paulo post rursus coeuntem in unam, quæ nullos ramos diffundens, juxta sinistrum vertebrarum latus, penetrato septo transverso, deorsum ad medium usque lumborum fertur, quo loco latior effecta magnamque arteriam circumplexa obscurissimum finem, mihiq; adhuc non bene perceptum obtinet.* Perfectius sane post eum non descripsit alius, si pauca tantum excipiantur superaddita. Venam vocat a similitudine substantiæ; eam tamen ab aliis Thoracis distinguit colore, contento intus humore, & usu: utpote quæ nequiquam aleret Thoracem, uti reliquas, quas descriperat, venas facere putabat. Cursum ejus describere incipit ab insertione, ubi notat Ostiolum semicirculare; tum Insulam, quam plerumque formare solet; hinc Situm in illis animantibus; denique Expansionem in Receptaculum Chyli postea dictum. Hic vero stabat *Eustachius*, candide fatetur, obscure nimis fuisse finem, ut eum distincte cognosceret. Mirum autem, quod idem non invenerit in homine, cum tot, tanta attentione, inciderit cadavera, & tantum laboris impenderit Venæ Azygæ exacte cognoscendæ, cui tamen in homine quam proxime adjacet. Vix dubitare licet, quod visum in Equo non quæsierit in homine; sin vero eum quoque animadvertisset ibi, certe non videtur omissurus fuisse in Tabulis, in quibus tamen vestigium ejus non apparet.

Multo autem magis mirari subit, qui factum fuerit, ut nemo Anatomicorum post *Eustachium* in hoc inquisiverit: eorum saltem, qui scripsere, nullus, ne in bruto quidem, meminit. Tantum abest, ut postquam *Afellius* Lactea Vasa & Chyli per ea Motum invenerat, non cogitatum fuerit porro de hac via, verum Chyli ex his iter non inspectione investigatum, sed in eo determinando opinionibus dimicatum fuerit: donec tanto tempore lapso, anno scilicet 1651. felix Gallus *J. Pecquetus*, fortuito casu, totam rem in animantibus fortunato detexerit. Dum enim vivo cane aperto, nudum ejus Cor contemplatur, illoque a vicinis vasis resecto, effluentem sanguinem abstergit, animadvertit lacteum humorem, parum fluidum, subinde intra Venam Cavam circa dextrum Cordis ventriculum effluere: miratur rei novitatem, putatque esse pus ex abscessu in thorace forte delitescente profluens, Chylo cruori mixto puris colorem mentiente. Sed mox Vena Cava penitus ad jugulum usque aperta, videt liquorem albicantem, sanguine non inquinatum, profluentem, Chylo Venarum Lactearum in Mesenterio simillimum. Incitatus originem ejus indagandi cupiditate, comprimit Thymum, Collum, Artus anteriores, sed frustra; tandem lacteis Mesenterii Venis compressis, magnam hujus succi copiam in Ramos Subclavios effundi deprehendit; ut, inde ejus originem repetendam, facile agnoverit. Nondum tamen viam, per quam a Mesenterio ad Venas Subclavias ascenderet, perspiciebat. Igitur canem bene pastum aperit, pulmonem caute elevat, dorsum lustrat, invenit primo in uno, tum quoque in altero latere, juxta dorsi vertebra, album chylosum Canaliculum.

Utrique vinculo injecto, ecce, statim supra illud flaccescunt, dum infra æque manent turgidi. Tum ablata tegente pleura, laxatis vinculis, utrinque Chylum in Cavam assatim fluere, observat. Neque tamen adhuc certus erat, per solos hos Canaliculos Chylum ex Mesenterio ferri: sed amputato Capite, detruncatis Artubus, presso Mesenterio, nihil Chyli ex vulneribus factis effluit; unde concludit, omnem ex Mesenterio per hos Canaliculos in Ramos Subclavios fluere. Injectis denuo vinculis, prosequitur Ductuum inventorum ad inferiora Progressum; repetitis experimentis invenit eum desinere in quoddam Chyli receptaculum, sub

centro Mesenterii situm, ab inventore *Pecquetianum* dictum, quamvis eodem, nisi potiori jure, *Eustachianum* appellandum. Hoc lacerato, Chylum ex Lacteis Venis in illud effundi conspicit. Tandem observat, Ductibus Chylois ligatis ad superiora, & Receptaculo aperto, illos tamen non detumescere, sed, retento Chylo, æque turgidos manere: premit igitur digitis impositis, & valvulas in eo, regressum Chylo ad inferiora negantes, deprehendit; quas deinceps, tot in re Anatomica inventis Clarus, *Ruisebius* pulchrius descripsit. Sic rem perfecit *Pecquetus*; sed tantum in brutis animantibus, Bove, Equo, Sue, Ove, & aliis; innata enim lege, ut ait, abstinuit ab homine, vivo scilicet incidendo; in mortuo enim hoc potuisse inveniri, non videtur putavisse. Quamquam vero hujus inventi gloria *Pecqueto* tribui soleat, hic tamen non omittendum censui, quod *T. Bartholinus* in sua *Lactearum Thoracicarum Historia* Cap. IV. scribat, *Nec dum viso Pecqueto simile quid* (scilicet Chyli Receptaculo, de quo agit) *Cl. Jo. Hornio* *Anatomico Leideni* in *Mesenterio canis* occurrisset, quod *Sacci Lactei* nomine dignatus fuerit. Unde *Isb. de Diemerbroek* utrumque inventorem agnoscit, & suo tempore demonstrasse publice ac conscriptis Libellis exhibuisse scribit, *Lib. 1. Cap. XI*. Simulac autem hæc experimenta evulgata erant, alii plurimi eadem passim instituerunt; inter quos *Nob. De Bils*, quæ in brutis invenerat, depingi curavit, & scriptis reliquit.

*Tb. Bartholinus* vero, non contentus *Pecquetiano* experimento, in vivo prius tum quoque post lautum pastum strangulato cane indagasse, summo studio incendebatur idem in homine investigandi, quod hætenus præstitum non erat. Nactus igitur humanum cadaver, paucis ante mortem horis cibo potuque laute exceptæ infanticidæ, res ipsi ex voto cessit, atque primus, in eo primo tunc quoque in aliis, *Hafniæ 1652*. Thoracicas Lactearas demonstravit: sed in locum Receptaculi *Pecqueti* Glandulas Lumbares Lactearas substituit, in quo reprehensus a *Warthone* in eleganti suo *de Glandulis Libello*, magis tamen ratione, ut videtur, quam inspectione, simile Receptaculum commune in homine asserente; id quod deinceps, præter Glandulas *Bartholini*, in homine invenit & pinxit *Olaus Rudbek*, van *Horne Microc. §. 30*. tum quoque, referente *Bartholino Lib. 1. Cap. XII. Anat.* *Carolus Le Noble* *Rothomagi*, & *Diemerbroekius Anat. Lib. 1. Cap. XI*. *Nukkius* in *Adenographia Curiosa*, alique. Denique *Dexterrimus Britannus* *Anatomicus, Cooperus*, Chyli Receptaculum, vicinas Glandulas, Ductumque multo accuratius descripsit, atque eleganter delineavit in *App. ad Bidloun*. Post quem *Cl. Salmannus* & *Hemingerus* novas Thoracici Ductus in cadavere humano inveniendo methodos ediderunt, cui hic novam quoque ex homine desumptam delineationem addidit *ENC. Cent. IV. App. pag. 120*. His si addas, quæ *Nukkius* in *Adenogr. Curiosa*, imprimis de Vasis Lymphaticis in Chyli Receptaculum & Ductum Thoracicum desinentibus, & quæ *Louwerus* de Valvula Semilunari circa ejus in Subclaviam Venam insertionem, demonstravit; habebis *L. B. primaria*, quæ ad hujus inventi historiam spectant. Sin vero operæ pretium fore existimes, perlegere sequentem ejus descriptionem, & cum annexa Icone conferre, invenies Tua attentione forsitan non penitus indigna; quæ si placuerint, gaudebo.

## FIGURA PRIMA.

**E**Narrata hucusque hujus Ductus historia, sequitur, ut eum nunc tractem Anatomice. Adjunxi, Iconem, quæ accuratissime ad Cadaver a me delineata, exhibet veram fabricam, situm, & decursum Receptaculi Ductusque Chyli in homine. Erat Cadaver juvenis phthysi, uti videbatur, extincti, cui mihi accessum dederat *B. S. Albin*, in Athenæo Leideni Anatomix & Chirurgiæ Prælector dignissimus. Postquam enim frustra circumspexeram in hæc inquirendi opportunitatem, occasio hæc se obtulit; cadaver enim demonstrationibus Chirurgicis *Cl. Prælectoris* dedicatum erat, quem, cum suavitate morum & integritate vitæ omnibus commendabilem & singulari benevolentia mihi Amicum probe scirem, rogavi (operationibus peractis) hæc contemplandi copiam: illico benevole annuit votis meis non tantum, sed & simul in favorem nostrum investigandi laborem non recusavit: huic igitur nunc publice ago gratias, quem semper veneror, utpote Doctissimum & in sua arte dexterrimum. Quoniam vero Ductus Thoracicus & Chyli Receptaculum sunt unum continuatum vas, ambo hæc describam, secuturus viam, qua humores per hæc vasa feruntur, incipiam a Receptaculo, perrecturus porro ad Ductum Thoracicum.

Igitur Chyli Receptaculum (*Saccus Lacteus* *Cl. van Horne*, *Cisterna Lumbaris* aliis) in homine

ne est sacculus membrana tenui conflatus, qui fibrosis quibusdam vinculis eum ambientibus constringitur, & hinc diversam, prout hæc magis minusve solvuntur, capacitatem obtinet, fere ut Intestinum Colon varium deprehenditur, dum vincula ejus sensim solvuntur; unde iusta Receptaculi hujus magnitudo & figura vix determinari possunt. In Cadavere primo apparebat unicus; paululum solutis fibrosis nexibus, bini sacculi oblongi; vinculis ulterius distractis, tertius inter hos medius, profundius situs, hinc minor apparens, in conspectum veniebat. Cujus idea ut haberi possit, apposui *Fig. IV. V. VI.* quæ successivas hæc mutationes, prout vincula necessitia solvebantur, exhibent. Tandem vinculis hæc omnibus disceptis, videbantur tres, distincti, magni, oblongi loculi. Inde forsitan factum, quod *Carolus le Noble* apud *Bartholinum Lib. 1. Cap. xii.* hoc Receptaculum, *Cellulis divisum intus, & interfectum magnitudine & figura inæqualibus constans* viderit; & *Diemerbroek Lib. 1. Cap. xii.* scribit: *In corpore humano interdum, licet raro, duo vel tria inveniri Chyli Receptacula; & mox, se in Receptaculo aliquam diversitatem, in homine, invenisse, ut modo unum foret, modo unum media membranula distinctum seu divisum, modo propter geminam protuberantiam duo diversa esse viderentur.* Sed & hinc procul dubio merito suo laudandus *Cowperus TAB. IV. Fig. X. N.* Sacculum Chyliferum, Mercurio, per majorem Truncum Vasorum Lacteorum secundi generis injecto, repletum, in *Appendice ad Bidloun*, tanquam unicum sacculum, inæqualis superficiei in situ pingit; illum vero, corpore exemptum, ex tribus constare animadvertit, & eleganter expressit primus *Fig. II. A. bb.* Cum qua Figura, & iis, quæ in hac Tabula, vivam rei imaginem exprimentibus, inveniuntur, si conferantur Figuræ aliæ, hoc Receptaculum in homine adumbrantes, velut *Rudbekius* apud *Barth. Lib. 1. Cap. xii. TAB. XVII. Fig. III. q.* *Henningeri Cent. IV. App. pag. 120. in Fig. litt. B. in Eph. N. C.* patet facile, illas minus commendabiles esse. *Nukkius* vero, *Adenograph. Fig. XXXII. H.* unam inæqualis Figuræ cisternam exhibet.

Tenuis adeo est membrana hujus Receptaculi ambitum formans, ut pelluceat, & hinc, ubi hoc Chylo repletum, a transparente ejus colore, albida appareat; sed & inde fit, ut Receptaculum vacuum, & proinde collapsum, difficulter in conspectum veniat; quæ forte ratio est, quod *Bartholinus* id in homine non animadverterit, nec depinxerit, ejus loco Glandulas novas substituens; vide eum *de Lacteis Thorac. & in Anatome loco jam citato Lib. 1. Cap. xii. Fig. XVIII.*


Imprimis vero descripti Receptaculi Situm exacte indicandum existimo. Sic sese habet: ponitur ad dextram corporum superiorum vertebrarum lumborum, hisque immediate incumbit; tum ipsi a dextris accumbit, & pro parte incumbit, Appendix Musculosa dextra Diaphragmatis; a sinistris vero illud suprascendit Arteriæ Aortæ descendens Truncus, anterieus Emulgens dextra Arteria ab Aorta, supra illud tendit ad Renem dextrum; supra quam descendit Vena Cava inferior, ibi quoque suas Venas Emulgentes utrimque emittens: hæc in Figura apposta delineare commode non potui, & facile suppletur. Proinde perfectissime in homine ejus pars infima reperitur sub Vena Emulgente sinistra, inter Venæ Cavæ inferioris & Aortæ descendens Truncum; quemadmodum optime exprimit *Cowperus Fig. X. N. inter B. a. D. TAB. IV. App. Bid.* Estque summa cura adhibenda, ne ille locus, inter eximendum intestina, lædatur, si enim illæsus manserit, semota nimium molesta intestinorum mole, ipsum Receptaculum, in quovis subiecto, quocunque post mortem tempore, facile demonstratur.

Circumponuntur Receptaculo Glandulæ Lumbares, quod jam animadvertit *Rudbek*, loco supra laudato, & Figura, minus tamen bene, illustravit; tum pariter sibi in homine visum testatur *Clar. van Horne Microcosm. §. 30.* & eadem sunt, quas pro Receptaculo Chyli descripsit *Bartholinus*. Hæ pulchre in nostro subiecto aderant; sed in Figura omissæ sunt, ut reliqua tanto distinctius exhiberi possent; imprimis cum belle inveniantur apud *Cowperum Fig. X. TAB. IV. Q. Q. R. R. & Fig. II. D. F.*

Porro huic Receptaculo loculoso inferuntur Venæ Lactææ secundi generis; vide *Cowperum loco citato Fig. X. O. & Fig. XI. C.* & Venæ Lymphaticæ propemodum omnes inferiorum partium; vide *Nukkium Adenograph. Fig. XXXII.* Harum nonnullas in annexa Figura expressi, prout scilicet immisso per Thoracicum Ductum in Chyli Receptaculum flatu, tum lacte, sese manifestabant; negato enim mox injecto liquido itinere, propter obstantes, ut suspicor, valvulas, investigare & delineare ulterius non licebat; nec præsentis instituti erat.

Descripto Receptaculo, videamus porro Thoracicum Ductum. Ille a superiori Receptaculi parte oritur, estque tantummodo Receptaculum in arctiorem canalem protractum, simili, tenui, mem.





A. Cant. delinavit.

membranosa, satis tamen firma, tunica formatum: idcirco ubi Chylo repletus, candidus apparet; ubi vero inanis, collabitur, ægre, nec nisi ab exercitato, reperitur.

Ab hac origine (sæpe duplici, mox coeunte) flexuoso quodammodo (quandoque insulam formans) mox recto itinere adscendit, in media corporum Vertebrarum Thoracis sede, medio inter Venam sine Pari a dextris, & Aortam descendentem a sinistris loco; ita tamen ut Aorta ipsi maximam partem incumbat. Hic est ille locus, ubi certissime in quocunque cadavere reperiri potest Ductus Thoracicus. Si enim Pectoris Osse ablato, dextrum Pulmonem eleves, tunc dorso Vertebrae curiose perlustres, invenies Thoracicum Ductum, si prius Chylo vel lacte repletus fuerit, ad latus sinistrum Azygæ Venæ, per tenuem Pleuram transparentem. Sed &, quamvis inanis omnino & collapsus sit, levi ibidem loci, inter Azygam & Aortam, vulnuscule Pleuræ inflicto, atque illa paululum distracta, certo reperitur. Frustra igitur eum in sinistro latere quæras, quamvis ita videantur velle Auctorum plerique, brutorum sine dubio inspectione seducti. Neque ullo modo admitti potest, Venam Azygam ideo non a sinistris sed a dextris provenire, quia in sinistris eodem itinere, quo Vena sine Pari collocanda esset (ab inferioribus nempe ad superiores partes secundum dorso vertebrae) jam defertur Pecqueti Ductus, cui Azyga si comes daretur, plurimum obesset &c. Uti asserit Lancilius in Epistola de Vena sine Pari apud Morgagni Adv. V. pag. 95.

Pergit itaque a descripto loco, semper incumbens vertebrae, sub Oesophago, subter arcum Venæ Azygæ; (quæ arcum venosum in dextro latere, uti arteriosum Aorta in sinistro format) inde supra corpora vertebrarum sinistrorsum inclinat, pergit subter Soporalem Arteriam sinistram, usque ad medium ultimæ Cervicis Vertebrae, toto hoc decursu, sæpe insulas majores, minores, vario loco efformans; quod utcumque exprimit Bartholinus Anat. Lib. I. Cap. XI. TAB. XVIII. dd. & ruditer Henningerus, loco citato, summa vero cura adhibita exhibet nostra Tabula.

Decurrit Ductus in cellulosa quadam substantia, sæpe, ut alibi in corpore, pinguedine infarsa (ut in publicis etiam Doctissimus Amicus Prælector demonstravit) sub Pleura Membrana; adeoque extra Thoracis Cavum, æque ac Vasa Spermatice, Ureteres &c. hac ratione extra cavitatem Abdominis, sub Peritonæo decurrere dicuntur.

Supereff, ut viso Ortu & Progressu, accuratè examinemus finem, id est, Insertionem, tanto magis, quia obscura admodum ejus apud Auctores habetur in homine descriptio, & obscurior delineatio: confer Tabulas sæpe citatas, ne ipsa quidem Cowperi excepta. Et quamvis sæpe varia sit natura, describam tamen rem ita, ut non tantum in præsentia, sed & in aliis cadaveribus deprehensa fuit. Scilicet postquam ad mediam ultimæ Cervicis Vertebrae sedem sinistrorsum inclinando adscenderat, ibi arcus forma incurvatus, sinistrorsum, deorsum tendebat, pone Venam Jugularem internam sinistram.

## FIGURÆ I. EXPLICATIO.

PRIMA Thoracis Vertebra 14. 16. cui articulatur

Costa prima dextra 7. 19.

Capitula, anteriora Clavicularum, quæ a Sterno, dum illud auferebatur, utrinque soluta, secesserunt ab invicem: unde distantia inter hæc duo Capitula naturali major est. Dextra quoque Clavicula paululum infra primam costam extra situm depressa est 4. 28. sinistra 25. 35.

Resectæ Costæ 3. 36. 27. 17. 30. 20. 34. 24.

Diaphragma prope Costam resectum 10. 57.

Appendix Musculosa, dextra Diaphragmatis, paululum tracta dextrorsum, & resecta 15. 58.

Altera ejus parte 10. 52. sinistrorsum tracta, hamulo 10. 49. Dum enim hæ partes cohærebant, tegebant illa, quæ hic interjecta apparent.

Pulmo dexter 26. 30. ex

Dextra Thoracis Camerae cavo 8. 29. 8. 52. sinistrorsum protractus ope hamuli 30. 26.

Oesophagus simul quoque sinistrorsum tractus 18. 37. & in 17. 28. abscissus.

Resectæ Aspera Arteria 18. 27.

Pericardium 20. 32. Et hoc sinistrorsum tractum, ejusdem hamuli actione 30. 26.

Vena Cava superior 20. 30.

Vena sine Pari 18. 29. 15. 43. 15. 47. juxta dextrum latus corporum Vertebrarum Thoracis adscendens; incurvata, antrorsum, sinistrorsum, inserta Venæ Cavæ superiori, antequam illa Pericardium ingrediatur, uti aperto Pericardio, & prope Venam Cavam elevato, apparet.

Vena Subclavia dextra 14. 25. Hæc postquam resecta esset, ut ipsi subjecta commodius indagari possent, ligata, & in situm, quantum fieri potuit, repolita est: factum inde, ut inanis & tracta, multo minus capax appareat, quam deberet; malui autem illam exacte pingere, uti oculis sese offerebat, quam supplendo inevitabiles errores committere.

Vena Subclavia sinistra 21. 20. quæ cum integra manserit, naturalem capacitatem fere retinuit.

Vena Vertebralis sinistra, collapsa 10. 17.

Vena Jugularis interna sinistra: & hæc abscissa, ligata, sinistrorsum tracta: hinc minoris diametri. 21. 15.

N

Vena

Vena Jugularis externa sinistra 18<sup>1</sup>. 13<sup>1</sup>. huic Venæ Jugulari internæ perfecte incumbere, si in locum suum reponeretur.

Vena Axillaris 23. 16.

Ramus Arteriosus Primus ex Aortæ curvatura adscendens 15. 24. mox divisus in

Arteriam Subclaviam dextram 10. 24. &

Arteriam Carotidem dextram 12. 20.

Carotis sinistra 16. 19.

Subclavia Arteria sinistra 18. 20. emittens

Vertebralem Arteriam 18. 16. & mox

Duas Arteriolas ad vicinas Colli partes 18<sup>1</sup>. 14. & 19<sup>1</sup>. 15.

Aorta descendens 16. 32. 16. 37. 17. 43. in sinistro Vertebrae Thoracis latere, quæ inter Appendicem Musculosam Diaphragmatis dextram 15. 58. & sinistram 20. 52. Thorace egressa dat

Arteriam Coeliacam 19. 53. sub hac

Arteriam Mesentericam superiorem 20. 55. tum

Emulgentes 21. 58. 18<sup>1</sup>. 58.

Chyli Receptaculum 17. 60. cui a dextris accumbebat & partim incumbere Appendix Musculosa dextra Diaphragmatis; a sinistris vero incumbere Aorta; quæ

hic 19. 61. e regione 17. 60. elevata cernitur, a flatu distento Receptaculo;

Bini Trunci majores Receptaculi, 16. 60. 17. 60. & inter hos situs tertius 16<sup>1</sup>. 60.

Vasa Lymphatica, a partibus infra Diaphragma sitis, venientia inserta Receptaculo. 18<sup>1</sup>. 65. 16<sup>1</sup>. 67. 16. 67.

Thoracicus Ductus primo flexuosus 17. 56. mox rectus 16. 43. sub arcu Azygæ 15. 30. inde sinistrorsum subter Carotidem sinistram 16. 24. pergens, usque ad mediam, ultimæ Cervicis Vertebrae sedem 17. 12<sup>1</sup>. ibi arcus forma incurvatus, sinistrorsum, deorsum, descendens pone Venam Jugularem internam sinistram 21. 15.

Thoracici Ductus Ramus 17. 17<sup>1</sup>.

Glandula subfusca parva, Ductui appositæ 18. 12. 21<sup>1</sup>. 15.

Ut porro habeas exactam situs omnium ideam, cogita Oesophagum 18. 37. 17. 28. incumbere Ductui Thoracico usque ad 16. 21. circiter, ita ut Ductus decurrat inter Vertebrae ab inferiori & Oesophagum a superiori parte. Tum adde supra Oesophagum poni Asperam Arteriam 18. 27<sup>1</sup>. continuatam, supra hanc Arterias 15. 24. 16. 19. 18. 20. tandem Venas 14. 25. 20. 30. 21. 20. denique Pectoris Os.

## FIGURA SECUNDA ET TERTIA.

**H**ucusque omnia accurate in Cadavere notari poterant, & delineari in *Fig. I.* verum ipsa tandem Insertio distincte nondum satis patebat: sed post opus eo perductum reliquimus sero vesperi squallidum Cadaver, quod sævam exhalare incipiens mephitim, sepulturam postulabat: attamen Ductus Thoracicus lacte repletus nimis pulchrum erat spectaculum, & nimio labore repletum, quod tenebris & vermibus traderetur: neglectis igitur Obstaculis, Ductu cum Venis, quibus infereretur, e corrupto exento trunco, & post inflationem, & propria, quam probe callet, arte a Dexterimo Praefectore preparato, & sibi servato, ~~omne patebat mira ejus Insertio.~~ Tum enim manifestum erat, illum terminari in Venam Subclaviam sinistram, a postica parte, sub Valvulis Venæ Jugularis internæ sinistræ: ita tamen ut ambigere possis, an in Subclaviam, an vero in ipsam Jugularem internam desinere dicendus esset. Etenim Subclavia sinistra proprie non continuatur in Axillarem, ut volunt plerique Auctores; ita ut Subclavia & Axillaris sint unus continuatus truncus, ex quo, ut ramus e trunco, prodeat Jugularis interna; sed potius Subclavia & Jugularis interna, sunt unus continuatus canalis, ad valvularum locum in binos nomine tantum distinguendos, cui a latere externo, tanquam ramus ad truncum, accedit Axillaris, uti *Fig. II.* & *III.* indicant. Si igitur dicenda est cum plerisque Vena Subclavia Axillari continuari recto tramite, & ex hoc trunco oriri Jugularis interna, terminabitur Thoracicus Ductus in posticam, infimam, sedem Jugularis internæ, ut in *Fig. II.* sin vero potius habenda est Subclavia cum Jugulari pro uno vase, tantum bifariam distinguendo ad valvularum locum, incipiet Jugularis interna supra illas valvulas, eritque insertio Ductus Thoracici in Subclaviam; conf. eandem Figuram.

Uti vero Natura in numero Ramorum hujus Ductus sæpe ludit, ita quoque in hoc subiecto Ductus Thoracicus e regione sedis infimæ primæ Thoracis Vertebrae emittebat Ramum, ejusdem cum Trunco capacitatis, pergentem sinistrorsum sursum paululum, super Arteriam Vertebralem sinistram, hinc sub Vena Vertebrale sinistra, tum supra Venam Jugularem externam sinistram, flexuoso parum itinere, donec infereretur sub insertionem prioris.

Attendendum autem imprimis existimo ad mirabilem callidæ Naturæ sagacitatem, quæ Ductum, hic duplici Rivulo, inter tot Venarum, Vertebralis scilicet, Jugularis internæ, externæ, tum quoque Axillaris, concursum terminari voluit.

Valvulas in Thoracico Ductu, lacte repleto prementis digiti indicio, repperit *Pecquetus*, aliique, in brutis; idem nobis in homine fuit tentati experimenti successus: lac enim siphone immissum adscendebat facile, cum vero urgeretur digitis, versus inferiora sistebatur, ubique valvulis in nodulos turgentibus. Illas in portione Ductus Thoracici Equini, exsiccatas pulcherrime demonstrat *Cl. Ruichius de Valvulis Lymph. pag. 37. F. 5. a. a.* Nos quoque in hoc humano siccato.

cato, observamus, variis in locis elegantissimas, semi-utriculares, geminatas semper, sua parte convexa Receptaculum Chyli, parte concava Venam Subclaviam respicientes. Præter has etiam Semilunarem, aperturæ Ductus Thoracici in Venam Subclaviam appositam, ut cornua ejus Venam Subclaviam respiciant, admittentem liquidum ex Ductu in Venam Subclaviam, sed regressum ipsi negantem, pingit Louwer TAB. VI. Fig. II. b.

Absolvissimam totam descriptionem, nisi pauca essent addenda de Venis Lymphaticis, in Ductum Thoracicum insertis. Hæ, ex toto Thorace prodeuntes, ingrediuntur ubique hunc Ductum; vide demonstrata Louweri de Corde Lib. v. pag. 225. & Nukii Adenog. Fig. XLI. & pag. 143. in Epistolis Anat. Intran autem quibusdam in locis, tam confertim, & tam mire in gyros flexæ, ut glomeres contortos referant. Patuit hoc eleganter, cum aliquando lac Receptaculo Chyli immissum urgeretur paulo majori vi; tum enim Valvulis Lymphaticarum retroactis, lac aliquotusque hæc Lymphatica subintrabat, & conspiciebantur variis in locis, tres quatuorve tales glomeres, convolutarum quasi Lymphaticarum Venarum. Hi forte sunt Canales illi flexuosi, ac in varios gyros contorti, indicati ab Henningero, in Eph. Nat. Curios. loco citato D. D. E.

## FIGURÆ II. ET III. EXPLICATIO.

Vides Figura II. hujus Ductus Canales e facie postica, Vertebra respiciente; ut ubi iterum videri possit Infertio Ductus.

Jugularis interna 32. 7. descensu suo definens in Subclaviam sinistram 33. 13. ab ea diremptam, intervencu valvularum 32. 9. 34. 9.

Vena Vertebralis sinistra 34. 10.

Vena Jugularis externa 33. 10. inserta Subclaviæ a sede postica.

Vena Axillaris sinistra 33. 11.

Thoracicus Ductus 38. 12. flexuoso itinere ad 36. 7. ascendens, hinc arcu facto descendens pone Jugularem internam sinistrorsum, donec inseratur posticæ sedi Venæ Subclaviæ sinistrae 32. 10. sub valvulis Jugularis internæ sinistrae 32. 8. 32. 9.

Ramus Ductus Thoracici 36. 11. flexuoso itinere pergens, inter Venam Vertebralem sinistram 34. 10. & Jugularem externam sinistram 33. 10. ascendens, descendens, inseritur, sub insertione prioris, paulo magis dextrorsum 32. 10.

Figura III. indicat Venam Subclaviam, cum Jugulari interna & Axillari sinistra, atque Thoracici Ductus partem, corpore exempta (ut & Fig. II.) post inflationem siccata, directe a parte anteriori, homine erecto visa.

Vena Jugularis interna sinistra 42. 7. descendendo continuata in

Subclaviam sinistram 42. 12. a qua distinguitur per

Valvulas binas ad finem Jugularis internæ positas, hic 42. 9. 42. 8. per Venam translucens.

Vena Vertebralis sinistra 41. 9. inserta Subclaviæ sub Valvulis Jugularis internæ a dextris.

Vena Axillaris, quæ inseritur Subclaviæ sub Valvulis Jugularis internæ a sinistris 44. 10.

Ductus Thoracicus 39. 20. qui circa quartam Thoracis Vertebra 39. 19. bifidus, mox coeuns primam ibi insulam format, & circa secundam Thoracis Vertebra 39. 15. alteram insulam majorem exhibet, porro flexuoso itinere ad 39. 7. ascendit, ubi pergit sinistrorsum pone Jugularem internam deorsum, inseritur Subclaviæ sinistrae, in postica sede, sub Valvulis Jugularis internæ sinistrae 43. 8.

Ramus Ductus Thoracici 40. 10. pone Vertebralem pergens; cujus progressus ulterior hic videri nequit. Neque etiam Vena Jugularis externa hic conspici potest: sita enim est pone Jugularem internam, non a latere ejus sinistro, ut male in Figuris Anatomicis exhibetur.

Figura IV. V. VI. Exhibent Thoracicum Ductum successive aliam figuram & magnitudinem acipientem, prout fibræ connectentes solvebantur.

**O**peram imprimis adhibui, ut simpliciter accurata Receptaculi, & Ductus Chyliferi daretur Anatomica descriptio, nullo omnino admisso ratiocinio: sunt enim hercle hæc bina quam distinctissima, neque absque summo artis incrementis detrimento confundenda. Parum tamen juvat pulchre horum fabricam cognovisse, nisi simul Actio innotescat. Hæc vero ex data prius fabrica & captis experimentis certis facile eliciuntur sequentibus.

In Receptaculum Chyli non modo Venas Lacteas, sed & Lymphaticas partium inferiorum inferi docui supra pag. 24. Lympham per has a partibus, Chylum per illas ab Intestinis, ad Receptaculum ferri, eique infundi, demonstrat valvularum in iis positio, & liquidi per eas motus, postquam ligatura intercipitur, observabilis. Proinde Receptaculum hoc est communis cisterna, accipiens & commiscens maximam Chyli, (excepto, qui per absorbentes Venas, Oris, Oesophagi, Ventriculi, Intestinatorum, immediate in Venas infunditur) & Lymphæ totius corporis partem.

Quoniam vero Chylus & Lympha, ex angustioribus canalibus in amplius Receptaculum effusa, amittunt motus celeritatem, & hic quoque magis a vi propellente distant, hinc stagnarent, & concreverent ibi loci, tenui Receptaculi Membrana vix quicquam ad propulsionem conferente. Sed accedit perpetua vicinorum actio, cui quam maxime exponitur Receptaculum vid.

supra pag. 24. Etenim Appendix Musculosa dextra Diaphragmatis, quoties homo respirat, contracta, tumens, a dextris premit Receptaculum; a sinistra & anteriori parte tempore diastoles, toties in hora, ipsi ictum infligit validum Aorta; quæ in mediocri cane tam fortiter pulsatur, ut robustus homo eam manu retinere nequeat quietam: accedit vis dilatata Arteriæ Emulgentis dextræ. Sed notum est, nullum ictum dici posse magnum cum effectu, nisi ratione resistentiæ obstaculi. Obstaculum vero hic maximum est, durum nempe Vertebrarum corpus, nihil cedens, a postica Receptaculi parte. Adeoque Receptaculum alternis vicibus experitur duplicatam vim, agentis Appendicis Musculosæ dextræ Diaphragmatis, Aortæ & Emulgentis Arteriæ. Cogita igitur Receptaculum ab omni parte fortiter premi, dum interim a Lacteis & Lymphaticis Venis, omni momento, infunduntur novi humores, regredi a Valvulis impediti; sequitur humores ex Receptaculo propelli in Thoracicum Ductum.

Ille vero, angustus, membranaceus, parum contrahilis, non sufficeret sursum promovendo Chylo, contra suæ gravitatis vim: atque ideo Natura eum non tantum tuto locavit, ut lædi facile non possit, sed & medio inter comprimentes vires loco, vid. supra pag. 25. Namque Aorta in omni cordis contractione eum valide urget contra Vertebras, dum interim a dextris Azyga cedenti resistit, forte etiam in inspirationis actu, Pulmo totum Pectus implens comprimit Venam Azygam, quæ hinc magis resistit Ductui, & forsan parum complicata eundem urget; adde quod in omni deglutitione Oesophagus, distentus, Ductum premit; sed & Carotis interna sinistra utcunque, & Vertebralis Arteria idem ad superiora præstant officium. Quoniam vero canali flexili pressio, liquidum contentum, cæteris paribus, æque urgetur versus unum atque alterum extremum, ideo provida Natura hunc Ductum ubique valvulis instruxit, ita factis & positis, ut liquido pressio, facilem dent adscensum, descensum omnino negent.

Neque tantum excipiendis ex Receptaculo & promovendis humoribus inservit Ductus Thoracicus, sed & per Lymphaticas, vid. supra pag. 27. accipit Lympham omnium fere Thoracis partium. Unde Thoracicus Ductus non incongrue dici potest Vena Cava Chyli & Lymphæ (uti unus in Medicis Præceptor meus, non sine honorifica præfatione nominandus, Vir Cl. *Hermannus Boerhaave*, in privato suo Institutionum Medicarum Collegio perpulchre demonstrat.) Omnem enim fere Chylum & omnem Lympham ab inferioribus, uti sanguinem Vena Cava inferior, e minimis ramulis acceptum vehit versus Cor; & quemadmodum Vena Cava varios humores receptos intime miscet, ita pariter Ductus Thoracicus crudo Chylo miscet elaboratam & vi corporis concoctam Lympham.

Hæc igitur ob causas, bini hi humores ex Receptaculo per Ductum Thoracicum adscendunt usque ad locum arcuatæ incurvationis ejusdem; quo ubi pervenerunt, sponte & commode delabuntur in Venam Subclaviam sinistram, non impediante Valvula Semilunari, vid. supra pag. 27. quæ interim accuratissime cavet, ne regurgitare possint, neve quicquam sanguinis ex Vena Subclavia in Ductum Thoracicum fluat.

Unde tandem patet, multam Lympham Chylo commixtam per Ductum Thoracicum (sæpe duplici rivulo) infundi in Venam Subclaviam, idque ibi præcise loci, ubi tot insignes Venæ, Jugularis interna, externa, Vertebralis, Axillaris, oppositis directionibus, suum sanguinem corrivant, & Lympham e superioribus partibus affundunt, vid. Louw. *De Corde Cap. 2. ad fin.* Quare parva satis Chyli Lymphæ mixti copia, ab oppositis locis velociter confluenti copioso sanguini occurrens, in fluore conservatur, & utcunque mixta abripitur simul in Subclaviam Venam, ubi iterum accedit sanguis a Venis Mammariis, aliisque vicinis allatus: denique affuso copioso per Venam Subclaviam dextram sanguine, omnes humores feruntur in Venam Cavam superiorem, inde accepto prius a Vena sine Pari sanguine, dilabuntur in Sinum Venosum dextrum Cordis.

## F I N I S.



## E M E N D A N D A.

20. Menis lin. 3. hq. crassior. Pag. 1. lin. 31. hq. Lulages. p. 1. l. 35. l. Semilunata. l. 48. l. effigiem. l. 51. l. descenderetur. p. 3. l. 10. l. Figura. p. 4. l. 24. l. nulli. l. 43. l. agit. motum  
 21. frigidum dentium in ore. p. 7. l. 37. l. Simul. p. 9. l. 51. l. 51-74. p. 11. l. 39. l. quon. p. 14. l. 10. l. failla. p. 15. l. 13. l. spicatur. p. 17. l. 30. l. E. N. C. p. 17. l. 38. l. Labiatur Receptacu-  
 lum Chyli.







